ARS GVBERNANDI,

COMPENDIO SCRIPTA.

PER R. P. F. IOANNEM A IESV MARIA,

Carmelitam Diſcalceatum Calaguritanum,

CONGREGATIONIS S. ELIAE *Præpoſitum Generalem.*

CONGRVIT VNIVERSIS, QVI quouis nomine gubernant.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



COLONIÆ,
Apud Ioannem Crithium,
ANNO M. DC. XIV.
Permiſſu Superiorum.

Monasterii S. Pancratij Romae an. 1641

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Mag. & Reuerendiſs. P. F. Ludouici Yſtella S. Palatij Apoſtolici Magiſtri ſocius Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQ. D. D. CARDINALI BVRGHESIO.

Fr. IOANNES S.

VIDERIS mihi, Cardinalis Ampliſsime, partem maximā orbis terrarum ſuppoſitis innixā humeris geſtare; quippe qui inter purpuratos Senatores, proximus ades Pontifici Maximo dignus tanto Principe nepôs. Erit ergo è Rep. vt qui ad Eccleſiæ gubernandę conſortium ſingulari Dei prouidentia videris accitus, in promptu habeas Artem Gubernandi ſelectis concinna-

tam conſiliis, & paucis non ſententiis modò, ſed & verbis comprehenſam, vniuerſiſque, qui quouis nomine præſunt, conſultò deſtinatã. Humanitas adſit mihi tua, vt ſcriptum hoc compendiarium, quod abſq; functionum grauiſsimarum decremento, lectitari poteſt, tibi nuncupari æquo animo feras; tametſi ferre vix poſsis, quod in dedicatoriis epiſtolis vſu percrebuit; vt merita tua eximia recenſeam: quod quidem officium lubens prætereo, cùm perſpectum ſit, perquàm raras animi tui dotes, quas mũdus penè vniuerſus habet exploratas, epiſtola vna quantumuis prolixa, vel tenuiter delibari non poſſe. Cedo equidem

quidem præclariſsimis dotibus, quas Deus prouehat Clementiſsimus: quem precor enixè, Ampliſsimi Cardinalis Burgheſij virtus per annos plurimos cæleſtibus auxiliis cumulata, & ſecundis ſucceſsibus aucta procurrat.

LECTORI.

FErt animus, ſelecta conſilia imperio deſtinata perſpicuè, breuiterq́ digerere. Non huc intexo præceptiones proprias, quæ ad ſingula gubernationis genera pertinẽt; neque enim pontificiam, regiam, monaſticam, aliaſuè regiminis ſpecies, ſed vniuerſali a pietatis, ac prudentiæ, aliarumq́ virtutum capita tradere conſtitui, quæ omnibus, qui præſunt, facilè congruant. Vt or gubernatoris nomine, quod Pontifices, *Prælatoſq́ omnes Eccleſiaſticos, Imperatores, Reges, Prætores, & vniuerſos, qui quouis nomine gubernant, communi ſignificatu complectitur. Spero autem, doctrinam ſcripti huius eam eſſe, quæ altè concepta conferre poſſit, non ad genus modo, ſed ad ipſas quoque præfecturæ ſpecies, quod perſpicax Lector expendat. Scriptum in partes diſcreui quinque: in prima*

prænotio-

prænotiones tres planè neceſſarias, in ſecunda conſilia ad exordiū, & progreſſum gubernationis appoſita, in tertia ſelecta nonnulla, quæ meritum beneuolentiam, & nominis claritatem gubernatori conciliant, in quarta gubernatoris dotes ſiue virtutes, in quinta exhortationem repoſui: omniaq́; S. R. E. correctioni ſubmiſi. Clementiſſimus Deus Scriptoris vota in commune bonum collimata ſecundet.

(∴)

PARS PRIMA.

DE TRIBVS GVBERNATIONIS PRAENOTIONIBVS.

Gubernatio triplex, & quænam optima. Cap. I.

Plato in Politico Ariſt. l. 3. Polit. c. 5. & 8. Eth, c, 10

TRES omnino gubernationis formas philoſophorum principes diſcreuêre, Monarchiam, vnius ſcilicet principatum, ariſtocratiam, regimen videlicet optimatum, democratiam, populi nempe totius imperium: quæ quidem formæ ſolent interdum permiſceri. Monarchicam verò gubernationem eſſe omnium perfectiſſimã, ſcriptorum omnium Hebræorum, Græcorum, Latinorum cõſenſio eſt, quæ ratione multiplici aſtruitur. Primùm quidem ex ipſa generis humani inſtitutione: non enim ex humo pariter Deus virum & fœminam, ſed hanc ex illo produxit, vt monarchiam

Philo. de conf. linguarum. S. Iuſtinus in exhort. ad gẽtes.

chiam cōderet. Inter homines quippe plures ex humo ſimul productos, nec ab vno genus ducentes, non ita perſpicuè monarchica gubernatio à Deo inſtituta,& ariſtocraticę,democraticæque prælata crederetur. Mox idem liquet ex Hebræorum Rep. vbi monarchicam gubernationem, vti optimam proculdubiò, Deus inſtituit, quod ex Moſis, Iudicum, Regum, ac Ducum ſuccedentium principatu palàm euincitur. Denique idem aſſeritur ex proprietate multiplici, quæ optimæ gubernationi congruit; ſiue enim Reip. ordo, ſiue pax, ſiue robur, ſiue ſtabilitas, quatuor ſcilicet optimi principatus proprietates ſpectētur, extra controuerſiam eſt, monarchica gubernatione, qua efficitur, vt omnes vni ſubſint, vnius iudicio ſe dedant, vires omnes in vnum caput conferant, factioneſq; præcaueant, feliciùs omnia ſuccedere, quàm ſi à pluribus, quorum ſententiæ vix coaleſcunt, imperium gereretur.

S. Cyprianus de Idol. vanit.
Chryſo. hom. 34. in ep. 1. ad Cor.

Gubernatio bona non tam ex genere, quàm ex veris virtutibus cenſenda. Cap. II.

QVemadmodum ariſtocratia in oligarchiam, ſiue paucorum factionem, & democratia in ſeditionē, ita monarchia in tyrannidem degenerat, vbi pietas, & æquitas peſſundari cœperunt. Proportione verò ſeruata, inter tria vitia triplici gubernationi aduerſa, tyrannis peſſima, vt inter peccata, Dei odium amori diuino vt actui nobiliſſimæ virtutis infeſtum, deterrimum eſt. Et quidem, licet monarchicus principatus non ſemper adeò corrumpatur, vt in tyrannidem exorbitet, ſolet tamen imprudentia, neglectu, incogitantiaque vitiari, propriaque integritate detrita, ab ſtatu natiuo velut abduci, quod aliis gubernationis generibus ſimplicibus, aut mixtis accidere, nemo Reip. conſultus eſt, quem prætereat. Ergò, vt quis rectè gubernet, non regiminis genere, ſed iis virtutibus, quæ vitia gubernatio-

nis

nis excludant, nitatur oportet. Quocirca non mihi in vario genere expẽdendo, comparandoq́; cunctandum; ſed agẽdum, vt quocunq; tandem genere quis præſit, norit plurimos prudentiæ, aliarumq́; virtutum modos, quibus officij partes queat explere.

Gubernatio bona diuinæ legi congruit.
Cap. III.

POlitici, qui iam eo nomine malè audiunt, bonam gubernationem duobus in capitibus, quæ cum lege diuina apertè confligunt, conſtituere ſolent, in religionis nempe neglectu, & proximorum damno; vt quoties ad parandam, tuendam, vel amplificandam ditionem, lucrum, vel honorem, eis quicquam appoſitum videatur, non magni pendant diuinæ legis tranſgreſſionẽ, vel proximorũ iniuriã. At quã ſit delira hæc mortalium opinio, hac efficaciſſima ratione cõficitur. Ratio qua Deus hominũ genus gubernat, omnino bona, & ad imperandum mortalibus opportuna eſt: nouit quippe Deus, qui-

bus modis hominum animi ad honeſtum flectendi ſint. Cùm ergo Deus lege diuina, duobuſque in primis preceptis homines moderetur; nemo adeò deſipiet, vt eum regendi modũ hominis ingenio congruentiſſimum non cenſeat. Si ergo ad regendos homines is modus duplici amore ſubnixus, ac proinde ab iniuria Dei, proximique abſtinẽs, appoſitiſſimus eſt; quis ita ineptiat, vt gubernationem vllam credat bene inſtitui, aut proſperari poſſe; quæ legem amore Dei, proximique comprehenſam, lucri, voluptatis, vel honoris gratia aſpernetur, vel tenuiter curet? Profectò ratio hęc vna multis politicorum argumentis nequit euerti, planeq; peruincit, neminẽ vnquã bene præfuiſſe, qui legis diuinæ obſeruationẽ lucris, honoribus, voluptatibus nõ anteferret. Quapropter, qui bene imperare cupit, duobus in cardinibus amoris in Deum & proximos Remp. vertet, nauabitq; operam vt omnem Dei iniuriam & proximorum damna propulſet.

PARS

PARS SECVNDA.

DE SELECTIS CONSILIIS,

Ad exordium, & progreſſum gubernationis appoſitis.

Dei ſapientia initio poſcenda. *Cap. I.*

PRIMA boni gubernatoris cura, precatio, & ſacrificium eſt, vt cæleſti ſapientia cumuletur, qui rem tẽtat multis difficultatum ſcopulis prætextã, quæ abſque ope diuina feliciter nequit abſolui. Senſit hoc Salomon. qui ne quid inauguratò faceret, ſic Deum precatus eſt:

Ego ſum puer paruulus; & ignorans egreſſum, & introitum meum. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. 3. Reg. 3.

Hæc Salomonis prima cura feli-

ciſſimi principatus fuit origo, quod è ſubiectis verbis euincitur:

Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet huiuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiã ad diſcernẽdum iudiciũ: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos.

Et paulò poſt:

Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, &c.

Grauiter ergo ſeducitur, qui politica ſolicitudine anxius, incertæ mortalium prouidentiæ innixus, officio ſibi credito ſe credit poſſe honeſtè perfungi, niſi Dei ſapientiam primùm exquirat. Quod ſi opes, gloriamque appetat, præpoſterus ordo eſt, neque ex voto res ea ſuccedit, niſi priùs ſapientia iuſtitiæ aſſertrix poſtuletur, cui opulentia, & claritas nominis adnaſcitur. Dei ergo ſapientia primum depoſcenda eſt.

Affectus

Affectus repurgandus.
Cap. II.

QVI affectu impuro Reip. tanquã nauis procellis iactatæ clauo, priuati boni ſtudio manũ admouet, curſum minimè diriget, verùm in ſcopulos eam impinget; vt ceteris demerſis, ipſe præmeditatus, è naufragio alienas opes diripiens, velut infidus nauclerus in ſcapham deſiliat, & in littus erumpat. Affectus porrò purus exiſtimandus, cùm Dei gloria, populiq́; ſalus, abſq; priuati boni intuitu, expętitur, quòd altè imprimendum eſt. Sane Moſes numeroſi populi rex amplam felicioris principatus, ac proinde auctioris gloriæ, opulentięq́; pollicitationem accepit, dum acerbam populo detractori necem Deus minaretur in hæc verba: *Vſquequò detrahet mihi populus iſte? Quouſq; non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis?* Feriam *igitur eos peſtilentia, atq; conſumam: te autem faciã principẽ ſuper gentem magnam, & fortiorem, quam hæc eſt.* Nu.14.

Ecce promiſſio regni felicioris: & tamen Moſes propriæ felicitatis immemor, ratus cladem populi, Aegyptiorum interpretatione, in dedecus diuinæ maieſtatis ceſſuram, ferre non potuit, quod ab Aegyptiis obiiciendum præſagiebat:

Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in ſolitudine:

Sic in preces incumbens Deũ, vt iræ gladium diſtrictum reconderet, exorauit, & cum diuinæ gloriæ ſtudio populi ſalutem connexuit, vt patet è ſubiectis Dei verbis:

Dimiſi iuxta verbum tuum.

In hunc modum affectus repurgãdus eſt, vt gubernatio priuati boni appetentia minimè vitietur, & cæleſtibus auxiliis aucta procurrat.

Animi ſub initium conciliandi.

Cap. III.

NEQVIT bene præeſſe, qui non imperat animis: corpora quippe coacta, animis interim auerſantibus imperium, nec fideliter, neque diu

diu parent, ſed valido reniſu obedientiæ repagula perrumpunt. Quapropter animos primùm boni gubernatores ſibi conciliant ipſo præfecturæ ingreſſu, quod modeſtia, verborum dulcedine, morum ſuauitate, promiſſis, muneribuſque obtinetur, vt per ſe compertum; ac experimentis creberrimis probatum eſt. Confert ad hanc rem ſubditorum adhortatio, & animorum deiectorum erectio, qualis illa Dauid:

Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis: licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamen me vnxit domus Iuda in Regem ſibi. 2.Reg.2.

Quibus certè in verbis tacita quędam tuendæ gentis promiſſio ineſt; cui ſi accedat fida cuſtodia, expletaque pollicitatio, miris incrementis gubernator augetur, vt patet ex illo. 2.Reg.3.

Facta eſt ergo longa concertatio inter domum Dauid, & inter domũ Saulis: Dauid proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.

Ob-

Obſeruandum hîc è primo gubernatoris orſu ſubditos concipere ſenſum, quem vix vnquam deponant, timoremque principio incuſſum tragicam ruinã portendere. Potuit certè, debuitque Roboam ipſo in regni
Reg 12 primordio animos deuincere miti reſponſo, vbi populus imperium Salomonis grauiſſimum leniri poſtulauit: at durè reſpondit, & infauſtum exordium populi defectio excepit. Ergo animi ſub initium conciliandi ſunt.

Tanquàm inter æquales agendum. Cap. IV.

MAieſtas inuiſa, humanitas grata, mortalibus eſt, meritoque ſcriptum:

Eccl. 32. *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.*

Maieſtas timoris, humanitas amoris, genitrix iure appellatur: atque idcirco, qui bene imperant, in humanitatem verbis, actibuſque propendent, vt vulgò inter æquales verſari videantur. Sic Paulus, cùm ſcriberet Romanis in hæc verba:

Deſi-

Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos. 1. Rom. 3.

Quæ quidem verba magiſterij grauitatem olere videbantur, ſtatim, ne quid grande iactaſſe crederetur, ſic ſeipſum interpretatus eſt:

Id eſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.

Quaſi planius ita effaretur: Scripſi, velle me vobis aliquid inſtructionis impertiri, nō ſanè quod ipſe me vobis præferam; ſenſus ergo meus eſt, optare me vobiſcum familiariter agere, vt velut æquales mutua fidei oſtenſione recreemur. Ceterùm Chriſti poſt lotionem pedum diſcipulos admonentis exemplum efficaciſſimum eſt. Nimirum ait:

Vos vocatis me, Magiſter, & Domine: & bene dicitis, ſum etenim. Io. 13.

Quibus ex verbis planè deduci potuit, debere diſcipulos demiſſiùs multò agere, quàm ipſe feciſſet: & tamen, velut æqualis intulit:

Si ergo ego laui pedes veſtros dominus & magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes:

Ergo qui præeſt, velut æqualis agat, niſi vbi ratio ipſa grauitatem exigit, & quodammodo extorquet, quæ certè doctrina ad flectendos animos vim habet immenſam.

Diſsimulandum, ſi non omnes acquieſcant. Cap. V.

BONI gubernatoris eſt, omnium captare beneuolentiam, vt omnes flectat ad honeſtum: ferre verò patienter, diſſimulareque, ſi non omnes applaudant: proceſſu quippe temporis dura pectora mulcebit. Profectò poſtquàm Sauli acclamatum fuit, Viuat Rex, populuſque ab Samuele dimiſſus domos proprias repetiuit, non eueſtigiò vniuerſi acquieuerũt, ſed vt ſacer textus habet:
1. Reg. 10 *Abijt cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filij verò Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt*

runt ei munera: ille verò diſſimulabat ſe audire.

Profuit vero ſimulatio; nam paulò poſt vniuerſus Iſrael miro concurſu Saulem in bellum ſubſequitur, ſicut ſcriptum eſt:

Et egreſſi ſunt quaſi vir vnus: 1.Reg.11

Et quidem tunc Saul piè, ac prudenter egit, vt in exemplum proferri queat, cùm vitæ puritate niteret, cōſilioque diuino regeretur, nondumque deſipere cœpiſſet: præterquam quòd doctrina hæc à bonis Prælatis, Principibus, Prætoribus, & quouis nomine Præfectis paſſim exercetur, vt opportuna ſimulatione de ſubditorum animis antè rigentibus, poſtea flexis illuſtres victorias referāt, quarum exempla ætate quoque noſtra minimè deſiderantur, ſiue togam, ſiue militiam, ſiue monachorum clauſtra ſcrutemur.

Subditorum ingenia principiò exploranda. Cap. VI.

FAmiliare eſt iis, qui piè ac prudēter præeſſe cupiunt, ingenia ſub-

dtiotum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ditorum explorare,vt quemque ſuauiter ducant: neque enim militarem animum ciuilibus, neque ciuilẽ militaribus exercitiis addicere ſapientis gubernatoris eſt. Hunc philoſophia,illum iuriſprudẽtia, alium muſica, natino quodam voluptatis genere trahit; velleque ingenia ſic affecta alioſum abducere, violentum præfecturæ genus eſt, quod bona ſemina naturæ opprimit, feracemque terram reddit effœtam. Quocirca gubernator quiſq; non aliorum relatu modò, ſed periclitatione propria ſubditorum propenſiones internoſcere curet: & cuique functiones eas credat,in quas pronior, & expeditior eſt, vt Deo propenſionum honeſtarum ſatori cõgruat.Profectò Prælati minimẽ pauci hac tempeſtate ex hoc capite laudem multam promerentur,& ingenia pro naturæ ductu expolientes, viros eximios appoſita cultura procreant, quos Eccleſia honore digniſſimos cenſet. Quinetiam ethnici ipſi hoc ingeniorũ examẽ indicarũt,ſuaſerũtq;, vt liquet ex illo:

Excudent

Excudent alij ſpirantia molliùs æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt alij cauſas, cœliq́ meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.
Tu regere Imperio populos Romane memento, &c.

Quaſi poeta luculentiùs diceret: Obeant alij functiones alias pro ingenio quiſque ſuo: tu verò, Ciuis Romane, qui ad imperium natus videris, imperio aſſueſce.

Subditi priuatim monendi. Cap. VII.

FRequenti experimento compertum eſt, communes adhortationes cum priuatis conferri non poſſe, ſi ſubditorum inſtructio, vtilitaſque ſpectetur. Illa quippe viuæ vocis energia non vaga, & indifferenter effuſa, ſed ad vnũ hominẽ permulcendũ, roborandũ, vel erudiendum intẽta, efficaciùs multò animũ mollit, flectitq́; quò velis. Nimirũ peculiaris eſt amoris index, nemoq; adeò ferus eſt, qui

qui ſe priuato beneuolentiæ ſignificatu tantillum vrgeri non ſentiat, ſiatque ad ſubdendum collum aliquãtò facilior, & ad correptiones, vel monita manſuetior. Obſeruauit hoc Apoſtolus, vt patet ex illo:

Act. 20. *Quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum.*

Quod Apoſtolicis viris altè impreſſum eſt. Quinetiam non viri Apoſtolici, vt Epiſcopi, Monachorumque Prælati ſolùm, ſed Principes quoq; ſęculares; militumque ductores eam doctrinam communi ductu prudentiæ obſeruant, quæ ſine graui communis boni decremento negligi nequit. Verùm hîc annotandum priuata monita, quæ nihil niſi blandum præferunt, crebra eſſe debere, nec indigere vſque adeò expenſis verbis, aut ſententiis: illa verò, quæ ad inferendam correptionem deſtinata & proinde aculeata videntur, multa eſſe meditatione libeanda, rariuſque adhibenda, ne animos exacerbent.

Ratio-

Rationes humanæ diuinis admiſcendæ.
Cap. VIII.

OPtanda, ſed non exigenda eſt à populo, vel familia ſumma perfectio, quæ à paucis conquiritur, & à paucioribus paratur. Quocirca bonus, ſapienſque gubernator rationibus humanis plerumque conueſtit, quod ſubditis demandat, licet impurum quid videatur, eiuſmodi rationibus animos vrgeri, quos Dei ſolius intuitu agi, foret honeſtius. Sic hominem gloriæ cupidum ad Dei cultum non ex ſola rei honeſtate, ſed ex adiuncta nominis claritate, quę inde ſolet oriri permouere viri prudentis eſt: experientiaque conſtat, induſtriam hanc ſæpe profuiſſe, nō modò vt ſubditi res arduas impigrè aggrederentur, ſed vt temporis proceſſu affectum repurgarent, perſequerenturque rationibus diuinis innixi, quod humanis extimulati cœperant. Neque ideò doctrina hæc à viris Chriſtianis reſpuenda, quòd ea homines Chriſti exortes familiariter

vſi fuerint: ſcopus quippè ſtudia diſcriminat. Illi ſcilicet profanè doctrinam vſurparunt, vt patet ex illo, qui gloria propoſita fæmineum animum ſic ad ſua vota flectebat:

Ibis Dardanias ingens Regina per vrbes:
Teq; nouam vulgus credet adeſſe Deã.

Et ex illa, quæ virilem animum perſimili ſcopo ita demulcebat:

Quando erit, vt condas inſtar Carthaginis vrbem,
Et videas populos altus ab arce tuos?

At ſcopus Chriſtiani gubernatoris pius eſt, prudentiaque ductrice ſubditorum ingeniis, & affectibus ad pietatem colendam vtitur: qua quidem obſeruatione inepta coaptat, & deformata reformat.

Irati placandi. Cap. IX.

SAtis crebrò intemperantes, vel grauiter affecti ſubditi non æquè ac decet, eos qui præſunt, venerantur, verbiſque ac incompoſitis motibus inſoleſcũt; qui ſi obiecta maieſtate aſperè reiicerẽtur, peius ineptirent,

rent, perſimileſque euaderent commoto mari ſcopulis illiſo, atque recuſſo, ac proinde ſpumas agenti, ſtrepituque multo excandeſcenti. Hos ergo leniter accipere, ſuauitateque multa delinire prudentis gubernatoris eſt, vt miteſcant non abſimiles mari, quod poſtquam extumuit, ad mollis arenæ in littore iacentis tactum ſeſe placido lapſu demittit. Rectè ſcriptum:

Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. Prou. 15.

Quocirca ſapiens gubernator leniter reſpondet iratis, neque illorũ verba trutinat: dictitatque ſubridens, credere ſe eos, vbi ira reſederit, aliter opinaturos, & vnam fore omnium ſententiam, interimque ſatius eſſe rem differre, aliaque id genus, quæ nequeunt certo numero comprehendi.

Mœſti exhilarandi. Cap. X.

Moeſtitia, vbi populum, vel familiã inuaſit, animos hebetat, & contrahit, corporaq; torpore multo retardat, ne munia obeant, & ex-

peditè obſequantur, atque adeò ſolerter præcauenda, vel depellenda eſt. Remedium præſentaneum eſſe ſolet lætus gubernatoris vultus, vt ex vna Dauidis poſt Abſalonem cæſum liquet hiſtoria in hæc verba:

2.Reg.19 *Nuntiatum eſt autem Ioab, quod Rex fleret, & lugeret filium ſuum: & verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo, & declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiens de prælio.*

Ecce quàm efficax eſt vultus gubernatoris mœſtus, qui exercitũ parta victoria exultantem deiicit. Nouit hoc rei benè conſultus Ioab, cuius admonitu rex deterſis lachrymis, exutaque veſte lugubri in publicum prodiens, victorem populum expeditum & alacrem mira celeritate cõciuit, ſicut ſcriptum eſt:

2.Reg.19 *Surrexit ergo rex, & ſedit in porta: & omni populo nuntiatũ eſt, quod rex ſederet in porta: venitq́ vniuerſa multitudo coram rege, &c.*

Cete-

Ceterùm læto gubernatoris vultui ars quædam ad excogitandos inducendæ, augendæque lætitiæ modos adiicienda eſt, qua plurimùm excellunt Prælati numero pauci, quos ſpiritus inſtruxit diuinus, cuius capitalis inimica mœſtitia eſt. Hi, vbi quēpiam vel natiua, vel acquiſita melācholia ægrum, vel fortuitò afflictū animaduertunt, peculiari cura ei adeſſe, ſolari, à laboribus quoad licet, eximere aſſueſcunt, vt animus mœroris collectione diſcuſſa, ad virtutem colendā fiat expeditus, & alacer.

Ante correptionem animi demulcendi. Cap. XI.

GRauiter ſubditis nocet, qui parum prudēter correptionem infert: mox quippe ac animus aculeū correptionis exertum, nulloq; molli operimento cernit obtectum, contrahit ſeſe ductu naturæ, quæ aſperitatem horret. Quamobrem lenia primùm verba promenda, beneuolentiaque amanter, valde captanda, ſtatimque adhibenda correptio: quæ

tametſi dura, concepta iam amoris perſuaſione libenter, vel patienter ſaltem accipitur. Doctrinam certè hanc Deus ipſe luculento commendauit exemplo, cum Nathan Prophetam ſubmiſit, qui Dauidem ob adulterium, homicidiumque corriperet. Propheta ſcilicet, ne Regem exaſperaret, parabolam præmiſit, qua ſaxa molliret, Regique molli laqueo parabolæ capto, hæc verba Dei nomine ſubtexuit:

2. Reg. 12 *Ego vnxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo, dediq; tibi domum Iſrael, & Iuda: & ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora.*

Exordium hoc melle dulcius eſt, quo feræ ſæuiſſimæ manſueſcerent; animoque iam molli adhibetur correptio in hæc verba:

Quare ergo contempſiſti verbum Domini?

Sic Dauid conuictus, intimoq; dolore correptus eſt; vnde vox illa erupuit,

Peccaui

Peccaui Domino.

Hic fructus porrò ſuauiſſimus maturæ correptionis eſt.

Sæpe parcendum. Cap. XII.

QVàm ſit prudenti, pioq́; gubernatori conſentaneum, ſæpe ignoſcere, ex ipſa Dei prouidẽtia, qua mundum adminiſtrat, perſpici poteſt. Perſpicitur quoque ex oraculo illo per Chriſtum reddito:

Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Matt 18

Res planè comperta eſt, cui nemo refragetur, niſi, qui ſe mortalem, fragilemq́ue non meminit. Vel ipſi ethnici naturę lumine ducti in hanc ſententiam, tanquàm diis ſuis conſictis probatam conſpirauêre, vt cecinit ille:

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc vbi detonuit, ſtrepituq́; exterruit orbem,
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.

Quibus in verbis illud obſerua-

tion dignum videtur, quòd Iupiter inducitur territans homines, vt formidine coerceat, quos punire nollet. Atra nubes quaſi Iouis irati ſubſellium, pingitur, vnde horrendo cum fragore, multiplici crepitu fulmina vibrat, rutilatque per quoſdam hiatus diſciſſæ nubis, vt aquis, potiùs ruentibus, quàm fluentibus mortales obruere velle videatur: & tamen mox ſereno cœlo velut arridet. Appoſitum ſanè commentum, quod bonis gubernatoribus congruere, nemo inficietur.

Punitio differenda. Cap. XIII.

QVOD Imperatores laudati in expugnandis hoſtium vrbibus moliuntur, vt iteratis militaris diſciplinæ verſutiis excidium, cædemq; procraſtinent, deditionem expectantes, hoc boni gubernatores in Rep. familiaque conantur; atq; adeò non parcunt modò, quod ad præcedentis capitis doctrinam ſpectat; ſed vbi parcendum non eſt, pœnam, quoad fieri poteſt, prorogant, ne puniendi cupidi videantur. Qua ſanè in re conſentiunt

tiunt Diuinæ Maieſtati, quæ vlciſcitur ſerò, vt iam in prouerbium abierit, (Plutarchus ſic librũ inſcripſit.) *Sera Numinis vindicta.*

Ratio ſuffragatur, nam ſi pœna properè irrogetur, infertur plerumque damnum, quod repenſari nequeat: quod è maturo vindictæ conſilio non imminet. At non proinde pœna ita proroganda, vt licentia ingruat.

Abutentes venia plectendi.
Cap. XIV.

AB ineunte mundo familiare Deo fuit, prius benefacere, ingratos poſtmodum, ac proteruos plectere. Quod tum alibi, tum in parabola ſerui nequam perſpicuè ſatis oſtendit, vbi hominem ingratum, immemorem indulgentiæ recenter acceptæ, grauiter obiurgat in hunc modum:

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Matt. 8.

Hæc obiecit ſeruo ad iudicium re-

uocato, quòd clementia diuina abuſus eſſet: & mox,

Tradidit eum tortoribus.

Ibid. Hæc boni gubernatoris inſtructio eſt, decoruſque ordo, vt impenſa, neglectaque beneficia ſubſequatur vltio, cui viam ingrati animi ſternunt, ſuoque ſe gladio iugulant.

Criminum rei cadendi.
Cap. XV.

IIS, qui peccando ſibi duntaxat nocent, facilè ignoſcere; de iis verò qui multiplici crimine Reip. officiunt, pœnam ſumere par eſt: nam venia, quæ Reip. perduellibus indulgetur, non clementiæ, ſed iniuſtitiæ, ignauiæ, vel negligentiæ tribuitur. Sic Dauid:

Pſ. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Euigilabat ſcilicet, vt inopinos malefactores caperet, ac nece illorum vrbem expiaret, quæ alioqui multis criminibus ſorderet. Hæc Rex

illi-

ille, qui cùm mitiſſimus eſſet in eos, à quibus ei irrogabatur iniuria, ſeuerè in Reipub. hoſtes animaduertere conſueuit.

Leuiora multa conſultò diſsimulanda.
Cap. XVI.

EXpedit pleraque leuia non patienter ferre tantùm, ſed ea velut incognita præterire, ne gubernator occaſionum vltricis iuſtitiæ captator videatur, fiatque proinde inuiſus, vnde peiora contingant. Hinc efficitur, vt Prælati à prudentia celebres, verbis artificiosè compoſitis, leuiorum culparum, quarum conſcij ſunt, ignorationem crebrò confingant, tum ne impunitas conceſſa, ſed fortuita credatur, tum etiam ne ſubditorum ceruicibus incumbere, & ab eis ſummum ius exigere velle exiſtimētur, quod animi ſubditorum horrēt. Profectò Chriſtus Apoſtolos rudes, imperfectoſque tulit, nec leues culpas, quas nonnunquā admittebāt, exprobrare, ſeu pēſitare cōſueuit, licet eos interdū ſuauiſsimè potiùs inſtrueret,

ſtrueret, quàm corriperet: quod ex ipſo euangelico textu perſpici poteſt.

Populo ſatisfaciendum. Cap. XVII.

EVenire ſolet, vt perturbatus populus ſuſpicione vexetur, quæ alienet animos, dum auctoritate gubernatoris ſcelus aliquod perpetratum coniectat. Quo in euentu pij, ac prudentis gubernatoris munus eſt, ſuſpicionem ſerio aliquo actu abolere, atque ita ſe gerere, vt omnino perſuadeat, ſe culpa vacare. In hunc modum Dauid, cùm in iuſſu ipſius, Ioab, & Abiſai interfeciſſent Abner præfectum militiæ Saul, quem honore afficere debuerant, ſolemni funere elatum, ac tumulatum fleuit, populumque ad lachrymas permouit, iurauitque ante ſolis occaſum ſe fore ieiunum, ad ſenſum doloris, innoxij hominis morte conceptum exprimendum, quo quidem luctu ſe necis auctorem non fuiſſe conuicit, vt ex his ſacri textus verbis liquet:

2.Reg.3. *Omnisq́; populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in con-*

ſpectu

ſpectu totius populi. Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illa, quoniam non actum fuiſſet à rege, vt occideretur Abner.

Nocet, vel leuis ſuſpicio ſiniſtra de integritate gubernatoris in vulgus illapſa: quocirca quantocyus expungenda eſt. Cauendum tamen, ne gubernator exoſus irato populo ſeipſum obtrudat. Qua quidē in re Paulum imitari decebit, qui cum Epheſiorum vulgus à quodam Demetrio concitatum aduerſus Apoſtoli ipſius doctrinam vehementer clamitaret, *Magna Diana Epheſiorum*; Act. 19.

Morem geſſit diſcipulis, & nonnullis Aſiæ principibus rogantibus ne ſe daret in theatrum, cùm eius tāquam odioſi hominis præſentia & adhortatio importuna, & periculoſa videretur. Sic prudens gubernator ab intempeſtiua efferati populi admonitione abſtinet, alioſq; ſubmittit, qui, grati cùm ſint, vulgus pacare ſtudeant, donec ipſe animos iam ſedatos affari, ac permulcere queat.

Digitized by Google

Quæ agenda ſunt non facilè prænuncianda. Cap. XVIII.

VIr ſapiens non leuiter prænunciat quæ agere conſtituit, cùm conſilium mutare, vel imperfectum opus relinquere, vel cœptum corrigere, plerumque contingat: quo in euentu triplici, ſatius eſt rem non vulgaſſe. Accedit boni propoſiti ſpes ſępe fruſtrata. Accedit cautio, ne bona cœpta à maleuolis intercidantur. Accedit denique admiratio perfecti operis velut repente nati. Sunt & alia prudentiæ capita ad rem hanc confirmandam opportuna, quibus efficitur, frequentius peccari lingua exerta quã cohibita. Ergo vbi res maturuerit, tempeſtiua detectio eſt: dũ verò obnoxia eſt mutationi, prudentius reticetur.

Abuſus extirpandi. Cap. XIX.

NVllus ager adeò felix eſt, qui inter bonam ſegetem, carduos aliquot, loliumque vel modicum non refundat, vt cultori opus ſit, noxium

terrę

terræ feracis partum reuellere, cauto, ne bonis ſeminibus officiat. Quocirca gubernator prudens, mox ac populi, familiæuè abuſus deprehendit, animum appellit ad eos euellendos, cauetque quàm ſeriò poteſt, ne bonis moribus ſeueritate noceat. Atque ideò leuiter incipit illam velut ſyluam ſenticoſam apprehendere, & à bonis plantariis oculatè diſcernere, vt adhibito poſtmodum conatu, illæſo tritico zizania eradicet. Non ergo impetus ſub initium faciendus, non acriter perſtrependum, ſed ſuauitate multa animi permulcendi, vt vim poſtea factam; vel admotã quaſi falcem patienter, vel etiam alacriter ferant. Profectò inſignis prudentiæ argumentum eſt, populum familiamuè in morem vnum diu incumbentem aliorſum vertere, quaſi dicas, fluuium alueo vno decurrentem aliò ducere: quod implorato Dei auxilio, adhibitoque ſenum conſilio tentandum eſt.

Boni mores inducendi. Cap. XX.

NOn hîc conſulitur legiſlatio quæ,

quæ, quò parcior, eò ſolet eſſe ſalubrior, ſed modus quidam populum, familiamuè ad pietatem, non tam verbo, quàm exemplo permouendi, quem pij ac prudentes gubernatores obſeruant. Profectò Imperator, qui in Vrbis obſidione verſatur cernitque ad capiendam Vrbem opus eſſe, ſyluam cædere, vel expleta foſſa viam exæquare, non mandato, ſed exemplo rem conficit, ſi tantum ipſe primus excidat, vel accepto ligone terram effodiat. In hunc modum, qui bene præſunt, dum morem aliquem bonum animis ſubditorum ingenerare cupiunt, taciti primùm ipſi rem auſpicantur, eoque ipſo populum ad rem eandem vehementer afficiunt, ſiue de eleemoſyna eroganda, ſiue de hoſpitalibus domibus extruendis, ſiue de tradendis nuptui virginibus, ſiue de ſpiritualibus exercitiis frequentandis ſermo fiat: quod vtinam Lector expendat.

Conſiliarij pij ac prudentes aſciſcendi. Cap. XXI.

Qui

QVI Remp. familiamuè gubernat ſæpe velut Nauclerus inter Oceani vortices, cœlo nubibus obducto, ventis ſæuientibus, & imminente naufragio anceps, inopſq; cōſi ij hæret, & quò ſe vertat ignorat. Subeunt cogitationes variæ, coniecturæ, ſuſpiciones, multiplicesque animi motus; qui abſque fido conſiliario minimè ſedantur. Exquirendi ergo viri, quos pietas prudentiaque commendet; nam ſi deſit alterutrum integritas ad conſilium requiſita obtruncatur, cùm pietas voluntatem, prudentia intellectum inſtruat, & pars vtraque ad bene conſulendum coeat. Quod gubernatores laudati percallentes, inculpatos ſenes à conſiliis habere ſolent, ſenes ob experientiam prudentiæ parentem, inculpatos ob exemplum pietatis ex vitæ candore ortum: neque enim impura vaſa purum liquorem euergunt. Non defuit Achitophel experiētia, adeoq; conſilij fama claruit, vt tanquam oracula Diuina eius reſponſa acciperentur, aiente ſacro textu:

Con-

2.Reg. 6. *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum.*

Defuit autem ei pietas, vt liquidò perſpicitur ex turpiſſimis conſiliis, quibus Abſalonem inſtruxit, vt piiſſimum patrem exturbaret à regno: atque adeò arte, quam profitebatur, captus eſt: nam cùm ferre non poſſet Ghuſai conſilium ſuæ ſententiæ preferri,

1.Reg. 6. *Suſpendio interijt.*

Ergo experti piique conſiliarij perquirendi.

PARS TERTIA

DE SELECTIS NONNVLLIS,

Quæ meritum, beneuolentiam, & nominis claritatem gubernatori conciliant.

Nulla perſonarum acceptio. Cap. I.

PERMVLTA gebernatori occurrunt, ſiue in deferendis honoribus, ſiue in muneribus diſtribuendis, in quibus intentio ab recto detorqueri, animiq; candor fœdari poteſt occaſione cognationis, amicitiæ, vel affectus immodici, qui vltra metam rationis exultet. Quapropter omnia rationum momenta penſitanda; vt virtuti honor, ac munera congruant: iſque aliis præferendus, quem auctiora merita com-

commendant. Qua ſanè in re optime: de Rep. merentur, qui monitores, ac deprecatores importunos ſic audiunt, vt nequaquam exaudiant, quod viros ſapientes proculdubiò decet. Profectò Salomon matrem quoque propriam pro Adonia precantem reiecit: Exemplarque noſtrum Chriſtus Zebedæi filios primarum ſedium poſtulatores graui reſponſo fregit. Sic bonus gubernator, vt idoneus meritorum expenſor; inepta poſtulata repellit.

Munerum repulſa. Cap. II.

INter corruptelas, quibus bonæ gubernationis forma fœdatur, munerum recenſetur acceptio, quæ animum emollit, & à recto æquitatis ſtatu flectit, vt nimis tritum, ac vulgatum eſt. Quamobrem manus excutiendæ, ne inquinetur animus, quod obſeruaſſe videtur Iob, incorruptus princeps, his verbis:

Iob.31. *Si in manibus meis adhæſit macula; ſeram & alius comedat, & progenies mea eradicetur.*

Impre-

Imprecatur ſibi, ſi eius culpæ reus ſit, grãde malum, quod ſerpat in poſteros, tanquam ſubnotet, gubernatores indignos corrumpi muneribus gratia ſobolis, quam locupletare geſtiunt. Optandum, vt munera tanquã exitialia ſpicula animus extimeſcat, malitque pietatis, ac iuſtitiæ cultu, quàm auro diteſcere.

Audientia facilis. Cap. III.

FAcilitas audientiæ commendatur, vt gubernator ametur, dum ſubditos benignè acceptos, ac dimiſſos ſibi cordi eſſe demonſtrat. Compertum eſt quippe, difficultatem in hoc genere prætextam populo, familiæque ingratam accidere, additis queremoniis, quod non pateat aditus ad eum, qui ex officio eiuſmodi labori obnoxius eſt. Rem expendiſſe videtur S. Ambroſius, de quo S. Auguſtinus:

Non enim vetabatur quiſquam ingredi, aut ei venientem nuntiare mos erat. Lib. 6. conf. c. 3.

Quòd ſi hæc nimia facilitas cen-

atur, certè id ſaltem hoc, exemplo conficitur, vt gubernator audientiæ poſtulatores non ægrè admittere debeat: quæ quidem doctrina diuinæ charitati, qua gubernator debet excellere, conſentanea eſt: pręterquàm quòd Ethnici principes politica dũtaxat ratione ducti, vt Philippus Macedonum Rex, & Veſpaſianus Imperator, alijque nonnulli neminem ab audientia excludere conſueuêre.

Grauiorum duntaxat reſeruatio.

Cap. IV.

NEgotia plurima, grauiaque ab homine vno quantumuis perſpicaci, atque ſolerti vix prudenter geri poſſunt: quapropter boni gubernatoris eſt, rerum momenta perlibrare, aliiſque credere, quę ipſe, vel minimè, vel imperfectè conficeret. Erat ſanè Moſes vir ſapientia inſtructus diuina: & tamen cùm eius cognatus Iethro dies totos pro tribunali ſedentem, & à populo circumdatum cerneret, ait:

Exod. 18. *Quid eſt hoc, quod facis in plebe?*

cur

cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſq; ad veſperam?

Et paulò poſt: *Non bonam, inquit, rem facis: ſtulto labore conſumeris.*

Hæc Iethro: cui auditis, quas prōpſit, rationibus, Moſes acquieuit, conſtituitque miniſtros, qui, vt ſacer textus habet,

Iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes.

Profectò gubernator, qui omnia quoque leuiora diſquirere pergit, imperfecti operis auctor eſt, & dum nihil exactè pertractat, ſibi conflat inuidiam, quod nemini fidem habere videatur. Hinc efficitur, vt viri prudentes, qui ſupremè præſunt, inferiorum præfectorum actibus ſeſe non obtrudant, quod laudati regiminis argumentum eſt.

Grauiorum demandata cura.

Cap. V.

GRauiora interdum demandare opus eſt, ad quorum expeditionem

nem perſpectæ fidei, ac prudentiæ viri ſeligendi: quibus ampla impertienda facultas, vt pro arbitratu quoque ſuo, quæ in rem præſentem quadrent, ex multiplici circumſtantia gubernatori incognita decernãt. Nam in referendis ad gubernatorem rebus multum plerumque ineſt damni, occaſioque dilapſa reuocari nequit. Doctrinam verò hanc adeò viri ſapientes obſeruant, vt non modò fidis, prudentibuſque delegatis copiã decernendi faciant, ſed puras etiam chartas ſubſcriptas, & ab eis perſcribendas, & obſignandas, vbi occaſio id exegerit, concedant. Tantæ ſcilicet digna auctoritatis fides prudentię ſociata cenſetur.

Salubrium monitorum acceptio.
Cap. VI.

NEC regem, nec prætorem, neque patrem familias dedecet admoneri: decetque maximè prudenti admonitioni acquieſcere, ne durum euadat imperium. Si enim, qui præeſt, bonos monitores arceat, ipſe ſibi

oculos

oculos eruit, vel obſtruit, qui ſolus omnia peruidere nequit. Solent autē viri grauiter commoti acriùs, quàm alij, conſilia bona reſpuere, eo ſcilicet tempore, quò, cùm ſint, velut mentis impotes, maximè conſiliis indigent. Tunc ergo paſſiones irritatę compeſcendæ, animuſque ad ſalubria monita coaptandus eſt. Quod præclaro aſtruxit exemplo Naaman princeps militiæ Regis Syriæ: qui cū ab Eliſeo Propheta non tam liberaliter, ac ipſe putarat, acceptus fuiſſet, iuſſus per nuntium Iordanem petere, iratus primùm, monitiſque ſtatim correctus ſic à ſacro textu deſcribitur:

Cùm ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, lauare, & mundaberis? 4 Reg. 5.

Verbis his mites præbuit aures, vt peruincunt adiecta mox verba:

Deſcendit, & lauit, &c.

Et Iordane ablutus mirificè deterſus,

terſus, & perſanatus eſt. Hic fructus cordati viri, cuius animo conſilia bona ſine reniſu imprimuntur.

Iuſta operariorum merces. Cap. VII.

QVi proprias locant operas ad principum domos extruendas, vel colendos agros, cùm vulgò inopes ſint, ac in diem viuant, non abſque turpi iniuſtitiæ nota, egeſtate confici ſinuntur mercede dilata: duriorque repulſa eſt, quàm ſi à priuatis hominibus reiicerentur, interim dū repetendæ mercedis cauſa libellos ſupplices porrigunt, ac imperiosè abiguntur. Bonus gubernator ab eiuſmodi culpa longè abſiſtit, quod de ſe Iob in hunc modum profitetur:

Iob. 31. *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent: ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animā agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*

Terra ab operariis ſudore reſperſa clamitare, ſulcique multo cum cona-

conatu laborioſè proſciſſi deflere dicuntur, cùm is, qui præeſt ad clamorem, & fletum agri cultores dirè perurget. Quod verò de terræ cultura, aſſertum eſt, idem de quibuſuis aliis laboribus pretio repenſandis aſſerendum: cauendumque ne Deus inopum clamoribus velut excitatus iniquos gubernatores ſeuera vltione percellat.

Iudicium aliis delatum in ſubditorum poſtulatis. Cap. VIII.

NON fert æquitas, vt dum ab eo, qui præeſt, ſubditus iure quicquam exigit, abutatur ille potentia, indecorumque putet, aliorum arbitrio ſubdi: quòd mirificè expendit, amplificauitque Iob his verbis:

Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent aduerſum me. Quid enim faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Numquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus eſt: & formauit in vulua vnus? Iob.31.

Hæc ſenſit, prçſtititque bonus Princeps Iob, à cuius integritate longe abſunt, qui famulos, populareſuè creditores tetricè reiiciunt, & iure violato menſes totos eliminãt. Dira repulſa eſt, quam Deus non ſinet inultam.

Nulla ſubditorum oppreſſio.
Cap. IX.

BIfariam opprimuntur ſubditi, aut legibus, aut oneribus, quali a dixerim vectigalia, duraque obſequia: legibus conſcientiæ, oneribus corpora prægrauantur. Vterque oppreſſionis modus ſæuitiam præfert, quam perhorreſcit animus. Quamobrem boni gubernatoris eſt, leges paucas, ſuaueſque ferre, vectigalia leuia imponere, faciliaque obſequia iniungere, quæ ſubditi minimè detrectent. Et quidem doctrina hæc grauiſſimo aſſeritur teſtimonio Chriſti Phariſæos ſuggillantis in hęc verba:

Matt. 23 *Alligant onera grauia, & importabilia,*

bilia, & imponunt in humeros hominum.

Turpe vitium iis, qui è cathedra Moyſi populo præſidebant: turpiuſque iis, qui Chriſtiano more præeſſe debent: quippè Chriſti.

Iugum ſuaue, & onus leue eſt. Matt. 11.

Conqueſtus eſt Ieremias, quòd in captiuitate Babylonica nimiùm durè populus tractaretur, hoc lamento:

Laßis non dabatur requies. Thren. 5

At populus Chriſtianus ingenua Chriſti libertate donatus eſt. Etenim fragilitate hominum expenſa; æternæ ſalutis viam, vt arduam, difficiléque pauci metiuntur, tametſi à clémenti gubernatore ducantur: quid ergò ſi ex præfectura fit via ſalutis aſperior?

Nulla mandata rationi diſſentanea. Cap. X.

QVæ rationi conſentanea non ſunt, à gubernatore imperari non decet: hoc quippe imperandi genus metam excedit, neque à ſubditis æquo animo ferri poteſt, quod ex

Nabuchodonoſor hiſtoria perſpicitur. Cùm enim Rex is ſomniaſſet prodigioſum quiddam, cuius memoria exciderat, cuperetque meminiſſe, accitis ariolis in hunc modum locutus eſt:

Dan. 2. *Niſi indicaueritis mihi ſomnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus veſtræ publicabuntur.*

Stultum ſanè imperatum: quod Chaldæi minimè ſiluerunt, vt patet ex his eorum verbis:

Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum, Rex poßit implere: ſed neque Regum quiſquam magnus & potens, verbū huiuſcemodi ſciſcitatur ab omni ariolo, mago, & Chaldæo.

Præmiſerant coniectores hi:

Dic ſomnium ſeruis tuis, & interpretationem eius indicabimus:

Quod profectò rationi conſonum videbatur: at & ſomnium ab eiſdem exprimere velle, necemque propterea minari ἄλογον viſum eſt. Porro ſi carpi debent, qui rationi aduerſa præcipiunt, quid opinemur de iis guber-

bernatoribus, qui ſubditos incuſſo timore ad homicidia, ad ſacrilegia, & ad omne denique maleficium impellunt? Deus vltor eſt, non impune ferent.

Otij prohibitio. Cap. XI.

TErra pinguis, & ferax, niſi proſcindatur aratro, bonamque ſementem concipiat, aculeatas herbas, ſteriliaque virgulta profert. Sic ſubditi bonæ indolis niſi exerceantur, excolanturque vepres vitiorum, & noxias malarum conſuetudinū plantas ferunt, quæ ferro ſeueræ diſciplinæ præcidendæ, vel punitionis igne abſumendæ ſint. Quāpropter otium, quo animi inculti ſylueſcunt, interdicendum, dandaque opera, vt ſemper boni quicquā cogitetur, agaturq́, quod ad virtutis cultum, & inertiæ depulſionem conferat. Hoc profectò monitum vel viris vitæ ſanctimonia claris, ipſisq́; monachis contemplationi deditis, qui minùs timere poſsēt, cordi eſt: quātò ergò ſtrenuiꝰ obſeruandū, vbi gubernator cernit, populum, familiamq́; torpentem nihil

pium, vt ileue moliri; ſed inſtar Vrbis muris minimè ſeptæ hoſtium direptioni patere.

Præfixa vanis ſumptibus meta.
Cap. XII.

AMpla patrimonia, redditusſque pingues populi, vel familiæ vanis expenſis prodigi ſolent, vt paſſim cernitur, vbi veſtimenta holoſerica, opere phrygio picta, auroque intertexta, & limbis vario pretioſorum lapillorum flore diſtinctis ornata in morem inducuntur, vbi aulæ apparatus, & menſæ lautitia certatim exquiritur, alijque id genus ſumptus factitantur. Quamobrem boni gubernatoris partes ſunt, luxum præſecare, metamque præfigere, quæ neque ſordidum quid admittat, neque decentem cultum, & ornatum excludat: atque in hunc modum decoro ſeruato, opes ad Reip. & familiæ bonum promouendum, & arcenda mala, liberalitatemq; exercendam ſuppetunt: neque enim ſumptibus parcendum, vt inutiles theſauri condantur,

tur, quibus auaritia vires acquirat.

Peculiaris familiæ cura. Cap. XIII.

LEx diuinæ charitatis, porrectis quaſi brachiis omnes amplectitur, & neminem à beneficentiæ conſortio repellit: ceterùm nemo vnquam diſſentiet, domeſticos à quibus rependitur quotidianum obſequium, laborque multiplex ſuſcipitur, externis præferẽdos. Dolendũ quippè, pleroſque huiuſmodi viros bonos, perenni famulatu conſeneſcere, neq; vel mediocrẽ remunerationem accipere, vt ętate grauiter affecta requieſcãt, &, quod cupiunt, tranquillè defungantur. Profectò Apoſtolus rem hanc introſpexit, ac exprompſit alto cum ſenſu, vbi dixit:

Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. 1. Tim 5.

Non potuit domeſticorum incuria ſignificantiùs damnari: neque hoc loco argutè domeſtici conſanguinei à famulis diſcernendi. Vtroſque enim præexternis, ſollicitè curandos,

enſit Apoſtolus, & vtrumq; negle-
ctum carpſit, tametſi alter altero de-
terior ſit. Porrò vterque geſtat im-
manitatis inſcriptum.

*Vindicta, vbi quis in gratiam guberna-
toris peccat. Cap. XIV.*

SCeleſtorum hominum eſt, aſſen-
tari principibus, audereque mul-
ta; quæ tametſi diuinam violent le-
gem, grata fore præſagiunt. His ta-
men aſſentiri, aulumque probare, pa-
trati ſceleris aſſenſus eſt, quo guber-
natori nota tetra ſatis inuritur. Qua-
propter non modo remunerādi, lau-
dandiuè non ſunt, qui eiuſmodi au-
dent, ſed acriter plectendi Dauidis
exemplo, qui Rechab, & Baana in-
terfectores Isboſeth filij Saul, affe-
rentes occiſi caput grauiter accepit
in hæc verba:

*Viuit Dominus, qui eruit animam
2.Reg.4. meam, de omni anguſtia, quoniam e-
um, qui annunciauerat mihi, & dixe-
rat mortuus eſt Saul, qui putabat ſe
proſpera nunciare, tenui; & occidi e-
um in Siceleg, cui oportebat mercedem
dare.*

dare pro nuncio: quanto magis nunc, cum homines impij interfecerunt virũ innoxium in domo ſua, ſuper lectum ſuum, non quæram ſanguinem eius de manu veſtra, & auferam vos de terra. Præcepit itaque Dauid pueris ſuis, & interfecerunt eos, &c.

Expedit ſanè, vt ſubditi omnino ſibi perſuadeant, nihil turpe, quantumuis in gratiam attentatum, ei, qui præeſt, vnquam probandum; quod ad viam ſceleribus multis præcludendam planè conducit.

Cauſarum perquiſitio. Cap. XV.

ANtequàm ferat iudicium, qui præeſt, omnia, quę inſunt, & quę affinia, vel adiuncta ſunt, penitùs noſſe debet, ne iniquè, vel imprudenter pronunciet. Sunt pleraque in ſpeciem iniuſta, quæ ſi attentiùs penſitentur, æqua cenſebimus. Huius doctrinæ benè gnarus fuit Iob, qui hæc prompſit verba:

Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Iob. 29.

Perſpicax intuitus, obſeruatio,

moraq́ue requiritur ad implexos laqueos diſſoluendos, & ad fraudum labyrinthos explorandos, vt plerũque mirum videatur, à bonis gubernatoribus in lucem erui, quæ mortalium induſtriam fugere credebantur. Deus animorum cognitor bonis prælatis ſubtiles cogitationes inſpirat, lucemq́ue indit, qua latebras introſpiciant, & ſapienter decernant.

Rerum inanium, ludicrarumq́ reiectio. Cap. XVI.

ANimum rebus ſeriis intentum diù gerere perquàm difficile eſt, decetq́ue curas graues intermittere, vt reſumptis viribus gubernator laborem validius repetat. Et quidem hac de cauſa, dum per tempus licet; hortorum amœnitas, muſicus concẽtus, aliauè id genus animi remiſſio conſulitur, & abſque nota ſuſcipitur. Ceterùm rebus inanibus, leuibuſque ex profeſſo ſe dedere, indecorum eſt, quale ſtudium Domitiani in configendis ſtylo muſcis ab ſcriptoribus meritò reprehenſum, aliaq́ue non abſimilia oblectamenta, quę procul-

proculdubiò dedecent. Quin etiam vſus Scurrarum, paraſitorum, & nebulonum aliorum vituperatur, cum animus à negotiorum, & curarum intentione modis aliis honeſtis relaxari poſſit, compertumque ſit, eos gubernatores, qui eius farinæ hominum voluptate capiuntur, ſtudio Reip. atque familiæ non parum adimere, quod officij deſerti vitio vertitur.

Adulatorum depulſio. Cap. XVII.

FAmiliare mortalibus eſt, iis adulari, à quibus poſſunt donis, & honoribus augeri: atque adeò ſermone blando, mirificè compto, non veras tantùm laudes exaggerant, ſed mendacia plura concinnant, quibus beneuolentiam captent: quod de ſe iuniore Auguſtinus ſic faſſus eſt:

Cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti fauer etur ab ſcientibus. Conf. 6. cap. 9.

Verum eſt quippe plura mendacia permiſceri, quæ licet ſciantur, ab eo etiam, cui adulatorius honor defertur, gratè accipiuntur, quia placent.

At qui præeſt, vitium hoc odiſſe, blãditoreſque vt infame genus hominũ abſterrere debet, oſtendereque nihil eo molli artificio ab ipſo impetrari, vel ſperari poſſe: qua quidem repulſa multam nominis celebritatem comparabit, & in exemplum ſpectata integritas cedet.

Suſurri auerſatio. *Cap. XVIII.*

VIrilis animi ſtatus, mentiſque maturitas gubernatorem decet, atque adeò muliebres, leueſque mores, qualis ſuſurrus eſt, deteſtari debet. Accedit efficax ratio à diſcordia inde oriri ſolita, quæ firmas quoque arces funditùs euertit: concepta quippe mali perſuaſione in aurem à ſuſurrone ſuggeſta, ira laceſſita in vltionem præceps fertur, innoxioſque plerumque percellit. Profectò Dauid, cum chlamydis Saul oram præcidiſſet, illamque oſtentaſſet in argumentum candoris ſui, ſcilicet qui hoſti acerrimo, quem interficere poterat, pepercisset, ſic eum affatus eſt:

Quare

Quare audis verba hominum lo-loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te? 1.Reg.24

Ac ſi expreſſiùs diceret: Cur non repellis diſcordiæ ſatores, qui tibi in aurem ſuggerunt, quæ ipſi comminiſcuntur, vel perperam interpretantur? Nonne vides, quàm ſit pernicioſum, & infame hoc genus hominum qui animo tuo ſtimulos felle litos infigunt? Sanè quale inter felices, ſteriles'q; regiones à natura, tale inter conciliatores, diuiſoreſque animorũ à moribus diſcrimen exiſtit. Congruit poeticum illud:

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi
Et Chalybes duri ferrum.

Gratia mortalium contemptus. *Cap.* XIX.

GRatia principum gubernatores infeſtat, vt nonnihil attentent, vel admittant, quo ius violetur. Fragilitas perantiqua eſt, quæ flexit Pilatum licet innocentia Chriſti conuictum, vt eum neci traderet, vbi tanquam Lethali telo perfoſſus fuit his populi verbis. *Si*

Ioan. 19. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.*

Terrarum orbis hominum Pilato ſimilium feraciſſimus eſt, vt non mirum, ſi & viros Deo ſacratos hoc cõtagium attingat, auſteramque diſciplinam quandoque relaxet. Ceterùm obſiſtendum eſt, & poſtulatis, vel propoſitis rebus ita annuendum, vt intemeratum ius, vitæque integritas illæſa conſiſtat.

Singularis amoris fuga. Cap. XX.

TAmetſi æquum ſit, meliores impenſiùs amare, & non æquè bonis anteferre; cauenda tamen ſingularia amoris ſigna, quæ vix ab aliis ferri poſſunt, & factionum, coniurationumque anſam præbere ſolent. Sanè Ioſeph eximiarum virtutũ laude germanis fratribus, præponi merebatur, vt meritò tunica polymita in ſignum amoris eum pater indueret: & tamen ſingularis amor fratres tanti patris diſciplina excultos grauiter perculit. ſicut ſcriptum eſt;

Gen. 37. *Videntes autem fratres eius, quòd à patre*

patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.

Si ergo inuidentia viros illos adußit, quid mirum, ſi per occaſiones ſimillimas incultos animos vellicet? Porrò ſi curiam perluſtremus, vbi malum hoc licentius gliſcit, erit ad rem, quod de Daniele Darius cogitabat, ſacro textu expreſſum per verba hæc:

Porrò rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: vnde principes, & Satrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere regni. Dan. 6.

Vt ſcilicet inuenirent opportunã calumniam inferendam Danieli, & eo ipſo amouerent eum à latere regis. Ergo & familia, & Reſp. ſingularia amoris ſigna ferre nequit, licet qui cæteris præponuntur, planè digni ſint, multoque minus, ſi merito ſingulari non præſtent. Et quidem rationi cedendum eſt, vt pinguiora munera conferantur in meliores: ſed circumſpectio commendatur.

Mini-

Digitized by Google

Miniſtrorum inſoleſcentium repreſſio. Cap. XXI.

NOn carpendus gubernator, qui perſpectæ fidei viro bono aliquo plurimùm vtitur, per quem grauiora negotia expediat, quem proinde gratia præ aliis valere, communis omnium ſententia ſit. Cauendum tamen, ne is animo efferatur, gratiaq; intemperanter innixus tentet, quæ Remp. vel familiam labefactant, quale quiddam ſuperbus Aman, ad necẽ innoxiæ gentis Hæbreæ in ampliſſimo Aſſueri regno auſus eſt: cuius audacia ad exemplum fracta eſt, repenſo ei patibulo, quod Mardochęo
Eſther 7 parauerat. Ergo qui gratia potiſſimũ valet, vt intra carceres equi, ita intra modeſtiæ clauſtra continendus, vel ſi turpia attentauerit, plectendus Athenienſibus mos fuit, opulétos, præpotenteſque ciues, licet inculpatos quodã relegationis genere, quod illi ὀστρακισμόν appellarunt, ab Vrbe depellere, ne potentia abuterentur: quid ergo non egiſſent, vt ciues in

Reip. perniciem gratia abutentes, ſuffragiis populi mulctarent?

Verba minimè contumelioſa. Cap. XXII.

QVi gubernandi arte non ſatis callent, vbi errata, deprehendunt, linguæ habenas laxant, & contumelioſis verbis animos ſubditorũ vellicant, ruboreque ſuffundunt. Error craſſus eſt: nam exaſperati animi bona conſilia, vel reſpuunt, vel difficulter excipiunt, omninoque conſtat, non perinde prodeſſe aculeata contumeliis monita, ac ea, quæ lenitate verborum condita dulceſcunt. Conſultius ergò eſt, honore afficere, quos admonere velis, ſalubribuſque monitis, honore delato viam aperire. In hunc modum ſapientes prælati, antequam corripiant, præmittere ſolent ſubditorum merita, puta ingenij perſpicacitatem, litteraturã, partã virtutibus laudẽ, vt ex his ipſis capitibus conficiãt, debere eos, quod indecorũ eſt, expungere, laudẽq; primã nouis acceſſionibus augere. Hoc genus

genus prudentiæ defuit, Isboſeth, qui Abner ſtrenuiſſimum virum, à quo domus Saul vita functi regebatur, quique cum Saulis concubina fortè congreſſus fuerat, ſic ex abrupto acribus verbis inceſſit:

2. Reg. 3. *Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei?*

Porrò Abner arrepta hinc anſa ad Dauidis aulam conceſſit.

Bonorum virorum amicitia.
Cap. XXIII.

DEcet eum, qui præſidet, bonorum virorum vti conſortio, qui rerum ſpectatores, ac teſtes adſint, quod ad fidem gubernatori conciliandam plurimùm valet. Eo quippe ipſo, quicquid agat, ſiniſtris interpretationibus minimè patet, cùm coram viris inculpatis, quibus vitia exoſa ſunt, geſtum credatur: præterquàm quòd laudi facilè aſcribitur amicitia illa, quæ probos dũtaxat admittit, improbos reſpuit. Huc ſpectat, quod Dauid cecinit in hæc verba:

Oculi

Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum. Pſ. 100.

Quaſi diceret: Non quoſuis amicos, conuiuas, & ſocios mecum conſeſſuros, confertim accipio, ſed examine præuio, poſtquam oculis omnia luſtraui, perſpexique eos fidos eſſe, ac exiſtimari, vt decorum videatur, ſpectatæ virtutis viros inter Regis amicos recenſeri. Horum fide, ac miniſterio expediuntur multa, quæ ad pietatem & pacem alendam impendio conferunt.

PARS QVARTA.

DE SELECTIS BONI GVBERNATORIS DOTIBVS.

DEI TIMOR, ET CVLTVS. Cap. I.

QVI aliis imperant, intentos ſubditis oculos gerunt, crebroque eiuſmodi vſu, cœlum plerumq; non

non ſpectant, Deique maieſtatem, vt par eſſet, minimè verentur. Error enormis eſt, qui Reip. ac familiæ officit: nam qui vltionis diuinæ formidine non contrahit ſeſe, facilè inſoleſcit, & nimium ſeuera diſciplina in ſubditos deſæuit. Qui verò timet, affectui non laxat habenas, & ſi quando palantem animaduertit, intra æquitatis orbitas reuocatum in officio continet. Hic ſenſus Iobi, boni ſcilicet principis fuit, ne principatus occaſione intumeſceret, opeq; deſtitutos opprimeret: quod ille mirificè perpendit in hæc verba:

Iob 31. *Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta (hoc eſt, iudicio in portis celebrari ſolito) ſuperiorem: humerus meus à iunctura ſua cadat; & brachium meum cum ſuis oſsibus confringatur. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*

Certè, vt ex hoc textu perſpicitur, cùm in iudicio poſſet tribus auctori-

ctoritate, ac potentia pupillos, inopes, & eius generis homines proſternere, familiare illi fuit, Dei timore contrahi, diuinamq́; potentiã inſtar elatorum fluctuum incumbentem ex imo loco ſuſpicere, neque vim tantæ maieſtatis ferre valere. Eaq́; de cauſa nihil iniquum, violentumuè auſus eſt, quòd deberet à ſupremo mortalium iudice reſcindi. Timor ergò Dei altè condendus eſt.

Inſignis doctrina. Cap. II.

QVi aliis vt magiſter præficitur, doctrina debet excellere: ſi enim rerum ignarus ſit, exprobrari ei poterit, quod Chriſtus cæcis doctoribus Ieroſolymorum obiecit:

Cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Matt. 15.

Cæcus cæcum ducit, dum gubernator ignarus populum, familiamuè ignaram regit, ſeq́; ipſum, æquè ac ſubditos præcipitem agit. Quocirca, qui præeſt, eius doctrinæ debet eſſe conſultus, quæ ad officium explendum conferat: alioſque aſciſcere peri-

peritos,quibus ad prudentiæ exercitium vtatur,vt quæ didicit ipſe perficiat, vel quæ non didicit, ediſcat: Delectus virorum doctrina præſtantium,qui aſſiſtant,habendus; oculateque inſpiciendum, vt boni iuxta ac docti ſint, cùm alterum ſine altero minimè in rem quadret,& vtrumque reperire rarò contingat, quod celebrari ſolet vulgato illo:

Vir bonus, & ſapiens,qualem vix reperit vnum,
Millibus è multis hominum conſultus Apollo.

Fida memoria. Cap. III.

QVi præeſt,debet experimentorum præteritorum meminiſſe,& negotia, quæ ſibi creduntur, in promptu habere,hiſtoriaſque. Vnde exempla,& multiplex prudentia petitur,noſſe,vt his omnibus opportunè vtatur.Quamobrem è Rep.eſt, ſi memoria fida prẹſtet,infidamquè excolere aſſueſcat in exercitio quippe ipſo fieri ſolet,vt memoria quaſi durior materia ſcalpro inciſa, quæ ſemel

mel inſculpuntur, diutius retineat. Prodeſt autem ars aliqua memoriæ iuuandæ, quali concionatores, ac publici prælectores vti conſueuere, figuris mathematicis, aut imaginibus, aut characteribus concinnata, prout cuiuſque ingenio congruit.

Bona coniectura. Cap. IV.

AD gubernatoris prudentiam ſpectat coniectura non leuibus, ſed probabilibus innixa rationibus; quæ eò ſolet eſſe congruentior, quò quis experientia prouectior eſt. Cauendum tamen, ne coniecturis abutatur tanquàm certis incertarum rerum indicijs: moduſque addendus, vt ſolentia, præſagiendique ratio quantùm fas eſt, admittatur: leuitas autem in conijciendo, nimiaque fides tamquam extrema vitentur. Exploratum eſt, ſomnia, prædictiones liberorum, & fortuitorum euentuum, & id genus alia à prudenti gubernatore contemni.

Circumſpectio. Cap. V.

CVm prudentia ſit recta ratio mediorum ad intentum finem,

ſæpèque contingat,quæ ex genere ad finem adipiſcendum conducunt, ex circumſtantijs obſtare, circumſpectio commendatur, quæ omnia rem ambientia inſpicit,penſitat, & cum fine confert, crebroq;reijcit, quæ genere quidem ſuo eligenda videntur. Profectò boni gubernatoris eſt, amoris ſigna ſubdito exhibere, eo quippe medio conciliatur animus, flectiturque quò velis: at ſi oſtenſi amoris occaſione ſubditus efferatur, ſatius erit grauiter illum accipere, licentiamque compeſcere. Nota hieroglyphicà oculatiſſimus gubernator pingi poſſet, vt omnia circumſpicere,ex officio ſe debere animaduerteret.

Maturitas conſilij. Cap. VI.

PRæmittenda conſultatio grauibus negotijs,neque fidendum ingenio,vel induſtriæ,ne cum dedecore ac damno oporteat mutare conſilium. Neque hic laudandum valde illud Græcum:

Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι,

Illud-

Illudue Latinum:

Sapientis eſt mutare conſilium.

Etſi enim meliora ſint ſecunda conſilia, quàm prima, vbi primus error ſecunda obſeruatione corrigitur; at vitio vertitur ingenium præceps, cui proinde neceſſe eſt, mala conſilia prima frequenter permutare ſecundis. Prouidentia, ſagacitas, circumſpectioque præcurrat, vt decernatur maturè. Non abs re Ennius Fabium Maximum cognomento cunctatorem cõmendauit in hæc verba.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:

Nõ ponebat enim rumores ante ſalutẽ.

Cunctatio ergo in grauioribus rebus prudentiæ ad benè gubernandum requiſitæ partus eſt: ſecus verò vbi leuiora decidenda ſuccurrunt, quorum diuturnam conſultationem prudentia minimè ſuggerit.

Diligentia. Cap. VII.

DVm laudatur cunctatio, nonnulli prudentiam prætexunt, vt tarditatem excuſent. Ceterum neutiquam

tiquam probanda tarditas, quæ à cunctatione longè differt, & in grauioribus quoque cauſis reprehenditur, cùm medium virtutis excedat. Vexantur tarditate negotiorum geſtores, & ad impenſas nimias dilatione coacti ad maledicentiam linguas ſoluunt. Quinetiam ſpe dilata bonas demum negotiorum expeditiones deflorata, iam gratia minus læti accipiunt, & bonum gubernatorum nomen obſcurant.

Prouidentia. Cap. VIII.

ET pietas, & prudentia exigit, quæ procul abſunt, bonus gubernator, velut è ſpecula proſpiciat, vt mala quæ Reip. vel familiæ officere poſſent, auertat, & bona, quæ vſui fore conſiderat, ſolertia, & nauitate multa perquirat. Quo quidem in genere, laudatur accurata temporis, & vtilitatis obſeruatio, & anticipatio quædam, qua efficitur, vt copia neceſſitatem incubituram præcurrat. Modus autem prouidentiæ potiſſimùm commendatur, ſi non modò tempus anteuertat, ſed ante conſum-

ptam

ptam annonam, veſteſq; laceras, ſubſidio impenſo ſuccurrat, aliquantoque plus eroget, quam neceſsitas arcta requirat. Parcitatis quippe ſtudium animis ſubditorum teporem inducit, ne alacriter obſequantur, aut pareant, quod crebris experimentis aſſeritur. Nouit hoc prudentiſſimus Iob, qui ea de cauſa, familiam liberaliter alebat, vt ipſe indicauit per hæc verba.

Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur? Iob. 31.

Dicebat quippe familia liberalitati tanti principis aſſueta, optare ſe menſam Iob ad ſaturitatem bene inſtructam, obſeruato diſcrimine mēſarum ſterilium, quibus fames non poſſet expleri.

Imperium animi. Cap. IX.

NOn bene imperabit alijs qui ſibi nequit imperare, dum inteſtino bello concutitur; paſſioneſque indomitæ rationis arcem oppugnant. Qui enim intemperantiæ, timoris, audaciæ, alijſque immoderatis ſuc-

tis ſuccumbit affectibus, quomodo intemperantes,timidos,audaces moderabitur ? Profectò ſi architecti norma peccet, ædificium ad eam regulam exactum nequit eſſe perfectũ. Debet ergo gubernator eſſe virtutum exemplar, quod ſubditi imitentur,lineaque qua dirigantur,vt Reipub.vel familiç partes,quaſi aulç cuiuſdam latera architectonica proportione conſentiant.Atque idcirco animum ita debet regere ſuum, vt rationis imperio paſſiones effrænes coerceat,ne ira exæſtuet, concupiſcentia flagret, delectatio illiciat: quod auxilio cœleſti, diuini iudicij, mortis ac tartari meditatione conſequetur. Etſi enim perquàm rarò victoria paſſionum perfecta paretur; eò tamen acceditur,vt motus immodici comprimantur,ne mentem à legis obſeruatione diſtrahant, & ab excelſo diuinæ gratiæ ſtatu deturbent.

Temperantia. Cap. X.

HErodes Rex intemperans bonos conſcientiæ ſtimulos,quibus excitus

citus Ioannem colebat, immoderato conuiuio retudit, bonamque ſementem, adnato quaſi lolio præfocauit. Omnino certum, ac exploratum eſt, voraces, bibaceſque homines nec Reip. nec familiæ regendæ idoneos eſſe, beneque paſtos, ac potos malè decernere, vt è Ioannis nece perſpici poteſt, de qua lepidè. S. Ambroſius: S. Amb. l.3. de Virg.

Rapitur ad pœnam Propheta conuiuali tempore, conuiuali præcepto, quo non cuperet, vel abſolui.

Abſolui quippe à pœna præcepto temulenti hominis, non eſt innocentiæ argumentum, ſicut nec damnari, culpæ perſuaſio eſt. Abſtinentia, & ſobrietas ſenſus vigiles, & ad honeſtum diſpiciendum perſpicaces efficiunt. Frugalitas ergo à bono gubernatore colenda eſt.

Caſtitas. *Cap.* XI.

PErantiquum prauorum gubernatorum vitium eſt, potentia ad libidinē abuti: quod Daniel in Suſānæ cauſa, dum alterū è duobus ſcele-

ratis ſenibus dijudicaret,expreſſit i[n]
hunc modum:

Dan.13. *Semen Chanaan & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: ſic faciebatis filiabu[s] Iſrael, & illæ timentes loquebantu[r] vobis: ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram.*

Quibus ex verbis liquet, iudice[s] illos iniquos puellas ad ſe iudici[j] cauſa ventitantes auctoritatis abuſ[u] vitiare ſolitos: quod certè crimen a[d] ætatem quoque noſtram ſerpſiſſe videtur, ſi plurimis hiſtorijs tragicis fides habenda ſit. Placeat potius illæſus vitæ candor bonis gubernatoribus congener, vt patet ex oraculo illo Iob:

Iob.31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis.*

Quaſi planiùs ſic enunciaret: Ego firmiter conſtitui non à turpi tantùmodò actu abſiſtere, ſed oculos quo-

que

que obſtruere rationis imperio, ne pulchritudine carnea, cuius in virginibus præcipua laus eſt, capiantur, certò ſciens, niſi caſtè agam, me ad Dei quaſi peculium omnipotentiſuè hęreditatem minimè pertinere. Profectò qui præeſt, viſu perſpicax eſſe debet: quomodo ergò viſu pollebit, qui indulget veneri cuius partus cæcitas mentis eſt.

Iuſtitia. Cap. XII.

QVàm ſit intrinſecus nata ex gubernatoris officio iuſtitia, tam eſt per ſe compertum, vt à nemine ignoratio vlla poſſit obtendi. Quorſum enim præeſt, niſi vt reddat cuique quod ſuum eſt, quod eſt ipſum tantæ virtutis ingenium? Iuſtitiam ergo tanquam officij firmamentum colat, nec ſe prece, vel pretio corrumpi permittat. Vbi autem ex vltrice iuſtitia in ſceleſtos animaduertet, clementiæ meminerit, qua vltionis aſperitas lenitur.

Miſericordia. Cap. XIII.

DEbet ex iuſtitia gubernator afflictos in libertatem aſſerere,

dum à potentibus opprimuntur. Ceterum niſi extra huiuſmodi euentus, in pupillos omneque inopum genus pronus & liberalis ſit, præconio dignus minimè cenſendus. Rem hanc Iob contemplatus hæc extulit
Iob 31. verba.

Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.

In hunc morem qui præeſt, affici debet, vt præfectura Deo, hominibuſque fiat accepta: iuſtitiæ quippe actibus non valde flectuntur animi, quos tamen miſericordia mirificè capit, vt feliciter procurrat imperium. Speranda proſperitas, vbi à veſtibulis gubernatorum famelici ſaturi, nudi obtecti recedunt.

Legum cuſtodia. Cap. XIV.

MIrum ſanè videtur, Reſp. pene

nè omnes monaſticoſque cœtus optimis legibus inſtitutos eſſe, & tamen legum cuſtodiam in paucis breuiquè vigere. Porrò multiplex eius calamitatis ratio poſſet afferri: illa verò minimè reticenda, quòd cum gubernator ſit velut anima legis, ſi is legum cuſtodiam deſerat, perinde eſt, ac ſi à corpore anima recederet. Leges ergo à gubernatore animandæ & tanquam ſpiritu vitali afflandæ ſunt, quod ſtudio duplici obtinetur: altero quod ad gubernatorem ſpectat ipſum, qui leges quoad poſſit obſeruet, altero, quod deriuatur ad ſubditos, quos ad legum obſeruationem efficaciter debet inducere. Quo quidem duplici ſtudio expletur vulgatum illud. Imperatoriam maieſtatem legibus armatam, & armis decoratam eſſe debere. Vbi enim legum cuſtodia præualet, armatura Regum, ac Reip totius leges ſunt; arma verò ob pacis bonum ſuſpenſa ad ſolum conferunt decorem, quale quiddam de turri Dauidis ſcri-

ptum eſt in hunc modum.

Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Quin etiam fœlicitas quædam inde exoritur, qualis Reip. Lacedæmonum contigiſſe fertur, qui legum cuſtodia potius quam muris Spartam ambierunt vt nec inteſtina, nec externa bella metueret.

Studium pacis. Cap. XV.

EXtra controuerſiam eſt neminem à rectrice prudentia laudari poſſe, qui pacis ſtudio neutiquam præſtet. Si enim vt vulgatiſſimo circumfertur prouerbio:

Concordia res paruæ creſcunt, Diſcordia maximæ dilabuntur.

Profecto qui pacem inducere, vel augere non certat, perinde agit, ac ſi Remp. euertat, tametſi vrbes bene munitas, & cuſtodijs ſeptas iactet: non enim præcipuum Reip. firmamentum in arcibus, & mœnibus, ſed in conſentientibus animis conſtitutum eſt. Quamobrem diſcordiæ ſeminibus quamtumuis exiguis, tanquam

quam exitiali malo celeriter ſuccurrendum, ne vires acquirant, neque labori, vel auro parcendum. Quò certè in genere illi potiſſimum commendandi, qui animos honeſti ratione propoſita ſuauiter, ac efficaciter alliciunt, vt omnes vno amoris nexu conſtricti, in ſenſum vnum mirificè conſpirent, conſenſione ſcilicet harmonica diuerſarum ſectionum, ac factionum expultrice. Senſum hunc togata, militaris, domeſticàque prudentia ipſo naturæ lumine ducta ſuggerit: quemadmodum enim naturale corpus viget, vbi membra omnia cohærent; ſtatimque ac vnum è loco dimouetur ſuo, totum diris doloribus conficitur, quod tantilla oſſa eluxata conuincunt; ita Reſp. vel familia, vbi animi omnes conſentiunt, valida, & conſtans eſt; at vel vno diſcrepante tota concutitur, ac perturbatur, quod experimentis quotidianis aſtruitur.

Conſtans animi firmitas. Cap. XVI.

PLeraque indigeſta, è coniecturis leuibus orta ad gubernatores deferuntur,

feruntur quæ animum non bene firmum grauiter afficiunt,& ad odium, iram vindictamq; perpellunt. Quãobrem præmeditatione opus eſt, vt vir prudens non temere fidem commodet nuntijs,vel ſuſurris,animumque dilatet, vt capiat multa,nec reuomat,paſſioneſque ſubſultantes rationis fræno coerceat Vix dici queat,quam deceat gubernatorum intus concepta, vultuque exhibita tranquillitas incompoſitis motibus minimè obnoxia, quæ cœleſtem quendam ſtatum repræſentat. Quo quidem in genere laudem primam promerentur,qui nuntia mœſta ſedatè, & conſtanter excipiunt; qualis Iob, qui armentorum prædæ, cœleſtis incendij, concuſſæ domus conuiualis, oppreſſorumque liberorum nuntios incredibili animi fortitudine,ac latitudine accepit:cuius proinde laus nulla obliuione delebitur. Illi verò facilè vituperandi, qui leui ſuſpicione tacti vehementer commouentur, iræ impetu tamquam phrænitide correpti:qualis ille Rex Iſrael, qui accep-

acceptis per Naaman litteris Regis Syriæ, vbi lepræ remedium candidè poſtulabat, impotenti affectu ſciſſis veſtibus excanduit in hæc verba:

Numquid Deus ego ſum, vt occidere poſſim, & viuificare, quia iſte miſit ad me, vt curem hominem à lepra ſua? Animaduertite, & videte, quòd occaſiones quærat aduerſum me. 4. Reg. 5.

Rex Syriæ Hebrææ puellæ indicio didicerat, ſe ex Iſrael ſperare poſſe ſalutem, vt rei probauit exitus eoque animo ſincerè ſcripſit: & tamen Rex Iſrael ſuſpicatur, ijs litteris belli occaſionem captari. Procul pellenda ſuſpicio malè nixa, quæ à bona coniectura longè diſſita eſt.

Gratitudo. Cap. XVII.

DVo bonorum genera, qui præeſt, obſeruata proportione diſpenſat, vnum è communibus Reip. opibus, vel honoribus, quod ad iuſtitiam diſtributiuam pertinet, alterum è proprijs ipſius gubernatoris diuitijs, vel officijs, quod ad gratitu-

gratitudinem ſpectat. Et quidem quemadmodum iuſtitiæ diſtributiua neglectus bona ciuium ſtudia eneruat, ita gratitudinis incuria ſubditorum animos auertit. E cōtrario verò ſatis exprimi nequit, quàm ſit efficax gubernatoris gratitudo perſpecta ad excitandos animos, vt ardua quæque fortiter aggrediantur, & remuneratori alacres adſint. Quocirca piè ac prudenter agunt principes grati, qui honoribus ac opibus ciues, famuloſque probatæ fidei pro exhauſtis laboribus augent: eoque ipſo ſibi conſulunt, dum plures alios beneficentia ſpectata ad obſequia quæuis alliciunt: habet quippe vim quandam magnetis gratitudo, qua hominis ingenium demulcetur, & capitur. Res adeò crebra, & comperta eſt vt exemplo vel aſſertione non egeat.

Comis grauitas. Cap, XVIII.

DEbet qui præeſt, ſe in animos ſubditorum inſinuare, vt ſpontanea reddantur obſequia, quod obtinetur comitate: debet quoque ita ſe gerere, vt minime irrideatur, quod grauitas

grauitas efficit. Et quidem perſpectum eſt, affectum populi, familiæq; bonum ex amore, ac timore, qui appellatur reuerentia, temperari, ne quid ad obedientiæ perfectionem deſideretur: nam ea mortalium obedientia, quæ amore ducitur timoris experte in licentiam, quæ autem timore exprimitur amoris exorte in ſeruitutem degenerat. Hęc ergo temperies obſeruanda, quam ſapiens gubernator conſiderat, qualis Iob, qui Iob. 29.
cùm eſſet planè humaniſſimus, erat quoque ſenatoria grauitate venerabilis, vt patet ex illo.

Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.

Sic afficiebantur non populares modò, ſed patritij ex aſpectu Iobi, ad cuius amorem, ac venerationem plurimum valebat, non faſtus, aut affectata maieſtas, ſed vitæ integritas,

cuius

cuius perſuaſio animis vniuerſorum
inſederat.

Decorum. Cap. XIX.

QVod in corporis partibus debi
ta proportione conſentienti
bus, & quadam coloris ſuauitate ni
tidis pulchritudo, hoc in actione
vel externis actibus, vti decet, modi
ficatis appellatur decor, ſiue deco
rum, quo bonum gubernatorem o
portet excellere, vt non internè tan
tùm Deo, ſed externè hominibu
quoque placeat, & ſtudium virtuti
compoſito geſtu excitet. Quaprop
ter nihil in oculis toruum, leue, mu
liebre; nihil in fronte contractum
inuerecundum, audax; nihil in ore
diſtortum, ſordidum, inciuile; nihi
in ſermone affectatum, floridum
fœmineum; nihil in inceſſu præceps
tardum, obliquum; nihil in corpori
motu ruſticum, deforme, inconcin
num admittat: ſed intuitu miti ac ſe
dato, fronte ſerena, ore compoſito
ſermone caſto, inceſſu graui, apto
que corporis motu præferat forman
guber

gubernatore dignam, quæ impensè ametur,& ſpectatores oblectet.

Amor in ſubditos, Cap. XX.

NEquit ſatis exprimi, ad perfectam gubernationem quàm cōferat altè impreſſus,& ſignis exhibitus amor, qui varijs formis nunc paternos,nunc maternos affectus concipiat,quos ſubditi deprehendant,vt meritò caput hoc parti huic quartæ tanquàm coronis addatur. Rem exactè perpendit Moſes,qui Deum, cuius ſenſum adeptus fuerat ſic affatus eſt:

Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram,pro qua iuraſti patribus eorum: Num.11.

Quibus planè verbis oſtendit, Dei mentem fuiſſe,ita ſe erga populum gereret, ac ſi totius gentis proprius parens,mater, nutrixque foret.Eundem Apoſtolus ſenſum aſſecutus eſt, qui cùm pater crederetur, matris

tris quoque affectum expreſſit in h
verba:

Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturi donec formetur Chriſtus in vobis.*

Parturire genetricis eſt: obſerua
duſque iteratus partus, quem Apo
ſtolicus amor edidit. Nutricis auten
functionem obiuit, vt liquet ex illo

1. Theſ. 2 *Facti ſumus paruuli in medio veſtri tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.*

Suppetit efficaciſſima ratio: nan
gubernator amore ipſo fit patiens v
ſubditorum tædia ferat: fit fortis &
conſtans, vt ſe pro iis, periculis obii
ciat: fit ſedulus, vt eis adſit: fit pro
uidus, vt quæ officere, vel proficer
poſſent, longè proſpiciat: fit deniq
ad omne honeſtum ſubditorum po
ſtulatum expeditus & liberalis,
& præfectura gloriosè per-
fungitur.

PARS

PARS QVINTA.

EXHORTATIO AD EOS, QVI PRÆSVNT.

§. I.

NEMO ex iis, qui præſuere, adeò delirus eſt, qui multiplicia, ſummaque diſcrimina, in quibus ij, qui aliis imperant, paſſim verſantur, non facilè dignoſcat; vt perſpectum ſit, eos exhortatione ſeria, identidemque repetita indigere, ſi æternæ ſalutis iter conficere velint. Debent quippe qui præſunt, luculento virtutū exemplo aliis prælucere, vt qui eos intuentur, quemadmodum vitam inſtituere, vitia cauere vel expungere, virtutes conquirere, vel tueri debeant, animaduertant, & ad eorum exemplar mores coaptent. Quocirca guberna-

torum integritas totius Reipub. vel familiæ forma, & quaſi vita è contrario eorum improbitas communis deformitas, & velut interitus eſt: & proportione ſeruata, pro culparum modo, bonum commune labefactat, vel euertit.

§. II.

SI autem vnius hominis vita ita debet eſſe æquis bilancibus expenſa, & ad iuſtitiæ lineam exacta, vt quantùm deflexerit, tantùm populo noceat, culpa vna in animos multos inuecta, & ſerpendo vires acquirente; quis tàm ſit cæcus, vt tremendum præfecturæ periculum non liquido perſpiciat? Cum enim tam exacta vitæ integritas paucis, ratoque contingat, ecquis ſibi blandiatur, & è ſelecto paucorum numero ſe fore promittat? Quòd ſi res perquàm rarò ſuccedit, quis adeò deſipiat, vt de præfectura quærenda, vel cogitare audeat? Priuatus homo, qui de animo dumtaxat ſuo Chriſtianis

virtutibus excolendo agit, vix in propoſito perſtat, timetque ne de ſe vno ſupremo Iudici ſciſcitanti reſpōdere nequeat; & quod longè maius eſt, monachus rerum diuinarum ſtudio perſeueranter intentus, & alto mundi contemptu grandis, iudicij diuini vim formidat, precatoreſque multos inducit, ne cauſa demum cadat: quomodo ergo plerique in ſpeciem pij primas cathedras ambiunt, fidentes ſe, qui aliorum adiutorio ad iram Dei placandam proculdubiò egent pro alijs in accuratiſsima Chriſti diſcuſſione reſponſuros?

§. III.

SAne qui præſunt, ad faſtigium quoddam euecti ſunt, vbi procliue eſt, quandam mentis vertiginem pati, atque decidere, quod non Eccleſiaſticis modo aſcribatur, quales Epiſcopi, è quorum numero paucos fieri ſaluos Chryſoſtomus cenſuit; ſed & alijs, quos prodigioſè collapſos Scriptura cōmemorat. Profectò Saul, qui cādidè cœpit, ita imperādo fœdatus eſt, vt, quod animus audire

horret,

horret, de illo ſic Deus lugubrem
ſenſum expreſſerit.

Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.

Hæc vt Samuel audiuit, repulſi à Deo regis vicem adeò doluit, vt fletum reprimere non poſſet: quem largiſſimè flentem ſic Deus ipſe corripuit:

Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael.

Si ergo, qui Dei conſilio ad gubernationem delecti ſunt, & innoxiè auſpicantur, tam portentosè delinquunt, & à Deo tam imperiosè deturbantur: quis non ſibi timeat, vbi è ſublimi præfecturæ loco alienum caſum contemplatur.

§. IIII.

QVòd ſi quis inculpata Sauli primordia laudet, prætexat tamen ei ſapientiam defuiſſe, errabit ille ſanè, vtrumq; enim donum diuinitus affuit: ceterum, quo res fiat apertior, proferamus vulgatum quidem

dem, ſed nunquam ſatis expenſum Salomonis exemplum, in cuius orſu ſapientia mirificè eluceſcit. Profectò mundus obſtupuit, Salomone ius dicente, vel arcana referante, quod neminem Scripturæ ſacræ conſultum latere poteſt: at regni pacatiſſimi opes & commoda ſapientiſſimum virum imperio abutentem dementarunt, & in turpiſſima vitia demerſerunt; ſicut ſcriptum eſt: 3. Reg. 11.

Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos; nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius; ſed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum.

Si ergo ſapientiæ lucem regiæ celſitudinis abuſus eo vſque extinxit, vt ad idola colenda Rex iam ſenex procumberet: quis non formidet imperium, vbi animus ſimillimis irritamentis illectus cernit ſe præfecturæ abuſu per veti-

 tos

tos campos poſſe licenter excurrere.

§. V.

SI autem viri, cæleſti conſilio ad regnum vocati, & virtutibus armati diuinis, eximiaque ſapientia ſplendidi, occaſione regiminis tam enormiter peccant; quid cenſendum de ijs audacibus, quos ad primas ſedes prouexit ambitio? Virides beneq; cultas arbores abſumit ignis: arentia ligna nonne depaſcet? Arentia ligna dixerim rectores eos, quos non intuitus diuinæ gloriæ, non Reip. pax, non ſalus proximorum excitat, ſed cupiditas opum, & honorum, quos auidiſſimè captant. Vtinam horrendum interitum præmeditarentur, ne tam cæcè aberrarent?

§. VI.

EXhibet enim neſcio quid blandum, & lætum præfectura, quod mortales hæredes Adæ adeò vehementer oblectat, vt tanquàm temulenti, mala, quæ cute illa nitida obteguntur, neque ſentiant, neque diſcernant. Veruntamen multis poſteà

experi-

experimẽtis cõuicti fatentur, quã ſit amaruléta potio,quę dũ appeteretur ſuauiter hauriẽda credebatur. Quod licet alij dictitent, ij potiſſimum probant, quos Dei timor coarctat, qui rebus perpenſis, atque collatis, mallent validè iugum prælationis excutere, quod ſponte ſubiêre, vel impoſitum ſuſcepêre: è quorum ſelecto numero paucos aliquot mundi contemptores ætas quoque noſtra tulit.

§. VII.

CEterum, qui oneri tanto iuſſi, vel iniuſſi humeros ſuppoſuêre, ſiue Eccleſiaſtici,ſiue ſeculares ſint, in opus ſuum curis alijs ablegatis incumbant,tanquàm rationem Deo reddituri eius functionis, quam obeunt, qua ſe populo piè prudenterque regendo fecerunt obnoxios.

Deus(quippe)ſtetit in Synagoga deorũ. Pſ.81.
Hoc eſt,iudicum, principum,pręfectorum,
In medio autem deos dijudicat.

Porrò vbi,qui præeſt,ad tribunal

 Chri-

Chriſti ſiſtetur, rogabiturq́ue quid egerit, reſpondebit fortaſſe vnus è multis, ſe, quod ad perſonam ſpectat propriam, neque honoris, neque voluptatis, neque lucri gratia legem grauiter violaſſe: verùm obijcietur ei populum familiamuè peccaſſe, quod ipſe ex officio cauere debuit: & culpæ, quas corripere neglexit, in eius caput refundentur, vt luat, quæ minimè putarat. Si enim, quod Chriſtus
Matt. 12. præmonuit, de verbis ſingulis otioſis in ſupremo iudicio reddenda ratio eſt, an non exigetur ratio neglectus Reip. vel familię, quã coercere oportuit, cũ eiuſmodi neglectus grauior, & nocentior ſit, quàm otioſa verba, quæ paſſim effunduntur? An obſcœnitates, contentiones, detractiones, odia, furta, blaſphemiæ gentis incultæ non recenſebuntur, exquireturq́ue à gubernatore, qui eam excolere debuit, cur populum, familiamue ſylueſcere permiſit, & luxuriem malæ ſegetis igni tradendæ non præſecuit?

§. VIII.

VEreor, ne multi præſides, qui ſibi vi-

bi videntur innoxij, damnentur interitu ſempiterno, quem dum contemplor, equidem cohorreo. Et profectò timor hic meus fundamento minimè caret, quod planè perſpiciet; qui gubernatoris officium attentè trutinauerit, ſimulque animaduerterit, quod ego ſæpè obſeruaui, præfectos plerosque admonitos de rebus ſerijs, quas officij ſuſcepti ratio ſuggerit, tanquàm è graui ſomnò euigilantes, nouamque doctrinam ſibi obtrudi credentes, facilè oſtendere, ſe de gente ſibi credita tenuiter cogitaſſe iis præſertim in capitibus, quæ Chriſtus ab eis maximè requirit.

§. IX.

QVod verò bonis æſtimatoribus peius in hoc genere videtur, audacia quædam eſt eorum præſidum, qui cùm opiniones Theologorum, Iuriſque prudentum communes audierint, hærent nihiloſeciùs leuioribus paucorum ſententijs parùm tutis, maluntque periculoſo itineri ſe committere, quàm perarctam ſalutis

viam à CHRISTO oſtenſam incedere. Miror certè auſum hunc: ſi enim in vrbe ampliſſima, quàm interfluit amnis, duo pontes populo tranſitum præberent, communique bonorum architectorum ſententia pons alter parum tutus exiſtimaretur, profectò vix è multis millibus vnus tutiorem pontem, mortalis vitæ amore perurgente, non peteret. Quomodò ergo è duabus opinionibus, quarum altera communi ſapientum conſenſione reprobatur, quæ minùs tuta eſt, à tam multis eligitur? An immortalis vita æquè ac mortalis non ametur? Cur tamen vitam hominis immortalem cum mortali confero? Certè vt in exemplo duorum pontium allato perſiſtam, nemo non ſe ipſum modo, ſed ne equum, quo ad exportandum ſtercus vtitur, periculoſo ponti crederet. Si ergo equus, vel aſellus pontem infidum pertranſire non ſinitur, ne fiat modica rei familiaris iactura; cur anima ſanguine Chriſti redempta periculoſis opinionibus in tanto æternæ mortis

mortis diſcrimine, ſe ipſam credit, ſibique tantopere vileſcit?

§. X.

Opto equidem, gubernatores Chriſtiani oculatiſſimi ſint, vt ſciant quid fieri expediat, & conſtantiſſimi, vt quod facto opus eſſe nouerint, rejectis politicis rationibus parùm pijs exequantur, placeantque ei, per quem

Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Pro. 8.

Quod planè aſſequentur, ſi exemplar ipſum Chriſtum intueantur, actuſque ſuos ad illius perfectionem effingant. Opto item, perfectum imperandi modum Chriſtiana diſciplina ſubnixum ineant, habeantque delectum rationi, & Scripturæ ſacræ exemplis congruentem, quo præfectura proſperetur. Quia verò campus hic latiſſimè patet, multorumque capitũ ſtudio animi vis diuiſa leteſcit; erit ad rẽ, vt gubernator quiſque vnũ vel pauca ſeligat, quib' præcipuè ad imperiũ vtatur, vireſq; oẽs ad ſcopũ vnũ intẽdat. Quòd ſi quis

roget, quodnam caput ad feliciter imperandum appoſitiſſimum videatur; reſponderi poſſet, illud à ſapientibus inter potiſſima reponi, quod ex humilitate, ac manſuetudine conflatur: Cùm enim is feliciſſimè omniũ gubernet, qui animis imperat, perſpectumque ſit, gubernatores humiles ac mites animis vltrò ſe ſubdentibus dominari; efficitur profectò, vt caput ex iis duabus eximijs virtutibus coagmentatũ ad regendos ſecundis euentibus homines opportuniſſimum ſit.

§. XI.

SVppetit efficax ratio: Cùm enim, qui præſidet, ſuperbus ac iracundus eſt, territat ſubditos, qui homines cùm ſint, humaniter tractari expetunt: eoque ipſo, quòd gubernatorem ſeſe efferentem, & iraſcentem conſpicantur, refugiunt, ac renituntur, vt ſi aliqua reddant obſequia, coactis tributorum repenſoribus ſimillimi ſint, à quibus pecunia non tam redditur, quàm extorquetur. E contrario verò, vbi, qui præeſt, velut æqualis

æqualis inter ceteros verſari, mollibuſque reſponſis vti cœpit, animos mirificè capit, atque delectat: nihil in eo exoſum, nihil aſperum deprehenditur, quod natura detrectet; multaque cernuntur, quæ facilè probantur, & placent. Qui enim animo demiſſo ac miti eſt, ceteros non exagitat, non vexat, ſed honore afficit, conſentit, cedit: ex quo efficitur, vt ſubditi animaduertentes habere ſe gubernatorem non capitibus eorum incumbentem, ſed (vt ita dicamus) ſuccumbentem, honorem deferentem, facilem, ac ſuauem; miteſcant ipſi, cedantque ex animo, quod laudatiſſimum ſubiectionis genus eſt.

§. XII.

QVinetiam & ij, qui minimè præſunt, ſi humiles ac mites ſint, iis cum quibus verſantur, quodammodo imperant, habentque multos ſpontaneos obſequiorum redditores, interim dum ipſi alijs obſequi, & ſubeſſe cupiunt. Experimentis quippe quotidianis liquet non in monachorũ clauſtris tantùm, ſed in ipſa curia,

eum, qui humilitatis, & manſuetudinis laude præcellit, ab omnibus certatim honorari, beneficijs augeri, neminem illi inuidere, familiaritatem ipſius ab omnibus expeti, atque requiri: quod nihil eſt aliud, quàm aliorum animis dominari, imperio minimè quæſito, ſed delato. Sentiunt ſcilicet alij vim quandam ſuauitate multa delibutam, quæ virorum humilium manſuetorumque conſuetudine, moribus & verbis, vel à tanti boni ignaris percipitur. Ecquis enim non capiatur conſortio eius, qui nihil moleſtiæ irrogat, cedit, honorat, ſubeſſe potius, quàm præeſſe optat, ſubit aliorum onera, & altercari, vel iraſci neſcit? Si autem qui æqualis eſt, his moribus præditus aliorum animis imperat, quid non obtinebit, qui cùm præſit, tam ſuauem moribus eiſdem præfecturam gerit? Immenſum quippe pondus habet lenitum hoc, & temperatum imperium. Porrò ſi quis dominatu cordium potiri velit, ſciſciteturque quanam arte id nanciſci queat, reſponſio ſat appoſita erit:

ſuerit: Humilis ac mitis eſto, & imperabis.

§. XIII.

Confirmari ſane poteſt doctrina hæc clariſſimis plurimiſque tū antiquis, tum recentibus exemplis: verùm pauca indicare ſufficiet. Porrò Moſes qui regnum feliciter geſſit, vt è textu ſacro liquet, fuit vir mitiſſimus omnium, qui morabātur in terra, ſeque ipſum profundiſſima humilitate adeò deſpexit, vt, vel præcipiente ipſo Deo, ægrè adduci potuerit ad legationē coram Pharaone obeundā, quippe qui ſe inertem, & nullius momēti hominem cenſeret. Dauid quoque qui ad regnum à Deo cooptatus fuit, ab incredibili manſuetudine, ſuique contemptu celebratur, quod ſacra regum hiſtoria ſatis euincit. At hæc, & innumera alia humilium, mitiumque gubernatorum exempla conferri nequeunt, cum eximio illo regis regum Ieſu Chriſti exemplo, qui cùm noſſet mortalium ingenia, regnum ſuum non apparatu militari, aut opi-

bus,& potentiæ iactantia,ſed humilitate ac manſuetudine inſtruxit, vt rigentes ceruices flecteret,ferreaque corda molliret.Cuius certè veritatis teſtes locuples fuit dies ille, quo Ieroſolymam ingreſſus mirabili acclamatione populi exceptus fuit, tanquam Rex Sion mitiſſimus,& corde humillimus, cui capitalium inimicorum feritas tunc præſertim irritata,& coniurata ſuccubuit,vt noſſent vniuerſi reges,ac præfecti,quas vires humilitas & manſuetudo ad regendos animos haberet.

§. XIV.

VErum ſupremus triumphus, quem egit è cruce pendens rem hanc efficaciſſimè confirmat. Rogo enim, quiſnam ſtatus ad imperandum importunior, quàm crucifixi, publica ſcilicet ſententia patibulo addicti hominis, quem velut infamem, contemptuque digniſſimum horrere mos erat? Profectò nullus ſtatus, nullum tempus,occaſio nulla excogitari poſſe videtur adeò inepta regno, quàm conditio hominis ad-

uerſante mundo è medio ſublati: & tamen,

Regnauit à ligno Deus. Pſal.95:

Nimirum quia non cœli, & elementa commota ſolùm, non petræ tantùm ſciſſæ ſunt, ſed corda petris duriora mitiſſimo Agno Dei collum ſubdidêre, & Chriſtianæ humilitatis, ac manſuetudinis imperio conceſſere. Non abs re, licet mundus aliud opinaretur, Crux Chriſti hoc inſcriptum, quaſi coronidem accepit: Rex Iudæorũ: etſi enim neq; Iudæi illi, qui tunc inſaniebãt, neq; Pilatus regnũ Chriſti noſſent, re tamen vera ſub verbis illis altus latet ſenſus Chriſti manſuetudine ſua Iudæis imperantis, regno quodam altiore, quod mundus minimè nouit. Norunt tamen contemptores mũdi, qui iam Imperatorum, Regum, & nobiliſſimæ partis orbis terrarum colla à Chriſto Crucifixo ſubiugata conſpiciunt.

§. XV.

Si ergo efficaciſſimis rationibus, & illuſtriſſimis exemplis compertum eſt gubernatores mites ac humiles feliciter præeſſe, nemo miretur, ſingulari obſeruatione me humilitatem, ac manſuetudinem gubernatoribus commendaſſe. Etſi enim prudentiam, iuſtitiam, aliaſque virtutes proferre poſſem, quæ videntur regimini aptiores; non abſque conſilio hæc commendatæ, illæ prætermiſſæ ſunt, cùm exhortatio noſtra peculiari intuitu ad perſuadendum perfectum imperij modum, qui in animis flectendis conſiſtit, deſtinetur. Omnia igitur, quæ hoc libro tradidimus prudentiæ, iuſtitiæ, aliarumque virtutum capita obſeruanda, ſed ad victoriam animorum humilitas & manſuetudo accuratiſſimè colenda.

§. XVI.

Vniuersè autem ſtudendum eſt ijs omnibus, quæ ad piam prudentemque gubernationem vtcumq;

con-

conducunt, vt ſubiectus populus, vel familia ad percurrendam ſalutis æternæ viam fiat alacrior. Mundi occaſus imminet, gloria orbis terrarum concidit, opulentia deficit: ſola Chriſti virtus Eclipſim non patitur. Quid ergo moramur? Quid prodeſt mundi felicitas æterno dolore repẽſanda? Quid cogitat gubernator inſipiens, qui potentia ad explendam bonorum caducorum famem abutitur? Millenos eiuſmodi homines tartarus abſorpſit, qui licet ſerò, vident tamen modò quàm grauiter peccarint, quorum interitus cautioni proponitur: & tamen à paucis tragœdia hæc tremenda perpenditur. Plurimi imperatores, reges, prætores, prælati, quorum nomen fuit marmoribus inſculptum, & ab hiſtoricis celebratum, perpetuo inferorum carcere torquentur; & vix ab vno vel altero tam funeſtus caſus recolitur. Placeat ergo illud diuini vatis monitum: Pſal. 2.

Et nunc reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.

Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Appre-

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via iuſta.

Oraculum eſt, quod vtinam gubernatorum animis hæreat, vt timoris Dei fræno coërciti cœptum pietatis iter ſine defectione conficiant.

FINIS.

INDEX

INDEX.

Pars I. De tribus gubernationis prænotionibus.

GUBERNATIO triplex, & quænam optima. Cap.I. pag.8. *Gubernatio bona non tam ex genere, quàm ex veris virtutibus cenſenda.* Cap.II. 10. *Gubernatio bona diuinæ legi congruit.* Cap. III. 11

Pars II. De ſelectis conſilijs ad exordium & progreſſum gubernationis appoſitis.

DEI ſapientia initio poſcenda. Cap.I. pag.13
Affectus repurgandus. Cap. II. 15
Animi ſub initium conciliandi. Cap. III. 16

Tan-

Tanquàm inter æquales agendum. Cap. IV. 18
Diſsimulandum, ſi non omnes acquieſcant. Cap. V. 20
Subditorum ingenia principio exploranda. Cap. VI. 21
Subditi priuatim monendi. Cap. VII. 23
Rationes humanæ diuinis admiſcendæ. Cap. VIII. 25
Irati placandi. Cap. IX. 26
Mœſti exhilarandi. Cap. X. 27
Ante correptionem animi demulcendi. Cap. XI. 29
Sæpe parcendum. Cap. XII. 31
Punitio differenda. Cap. XIII. 32
Abutentes venia plectendi. Cap. XIV. 33
Criminum rei cadendi. Cap. XV. 34
Leuiora multa conſultò diſsimulanda. Cap. XVI. 35
Populo ſatisfaciendum. Cap. XVII. 36
Quæ agenda ſunt non facile prænuncianda. Cap. XVIII. 38

Abuſus

Abuſus extirpandi.Cap. XIX. ibid.
Boni mores inducendi.Cap.XX. 39
Conſiliarij pij ac prudentes aſciſcendi Cap. XXI. 40

Pars.III.De ſelectis nonnullis, quæ meritum, beneuolentiam, & nominis claritatem gubernatori conciliant.

NVlla perſonarum acceptio. Cap. I.pag. 43
Munerum repulſa.Cap.II. 44
Audientia facilis. Cap. III. 45
Grauiorum duntaxat reſeruatio. Cap. IV. 46
Grauiorum demandata cura.Cap.V. 47
Salubrium monitorum acceptio. Cap. VI. 48
Iuſta operariorum merces.Cap.VII. 50
Iudicium alijs delatum in ſubditorum poſtulatis.Cap.VIII. 51
Nulla ſubditorum oppreſſio. Cap. IX. 52

Nulla

Nulla mandata rationi diſſentanea. Cap.X. 53
Otij prohibitio. Cap.XI. 55
Præfixa vanis ſumptibus meta. Cap. XII. 56
Peculiaris familiæ cura. Cap.XIII. 57
Vindicta, vbi quis in gratiam gubernatoris peccat. Cap.XIV. 58
Cauſarum perquiſitio. Cap.XV. 59
Rerum inanium ludicrarumque reiectio. Cap.XVI. 60
Adulatorum depulſio. Cap. XVII. 61
Suſurri auerſatio. Cap. XVIII. 62
Gratiæ mortalium contemptus. Cap. XIX. 63
Singularis amoris fuga. Cap.XX. 64
Miniſtrorum inſoleſcentium repreſsio. Cap.XXI. 66
Verba minimè contumelioſa. Cap. XXII. 67
Bonorum virorum amicitia. Cap. XXIII. 68

Pars

Pars IIII. De ſelectis boni gubernatoris dotibus.

DEi timor & cultus.Cap. I. 69
Inſignis doctrina.Cap.II. 71
Fida memoria.Cap.III. 72
Bona coniectura.Cap.IV. 73
Circumſpectio. Cap. V. ibid.
Maturitas conſilij. Cap. VI. 74
Diligentia.Cap.VII. 75
Prouidentia. Cap. VIII. 76
Imperium animi.Cap.IX. 77
Temperantia. Cap. X. 78
Caſtitas. Cap. XI. 79
Iuſtitia. Cap. XII. 81
Miſericordia. Cap. XIII. ibid.
Legum cuſtodia. Cap. XIV. 82
Studium pacis. Cap.XV. 84
Conſtans animi firmitas. Cap. XVI. 85
Gratitudo.Cap.XVII. 87
Comis grauitas. Cap. XVIII. 88

Deco-

Decorum. *Cap.* *XIX.* 90
Amor in ſubditos. *Cap.XX.* 91

Pars V. Exhortatio ad eos, qui præſunt.
pag. 93

FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER
DE BONO VSV,
CONTEMPTVQVE HONORVM, DIVITIARVM ac voluptatum,
COMPENDIO SCRIPTVS.

PER R. P. F. IOANNEM
à Ieſu Maria,
Carmelitam Diſcalceatum
Calaguritanum,
CONGREGATIONIS S. ELIAE
Præpoſitum Generalem.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Crithium,
ANNO M. DC. XIV.
Superiorum permiſſu.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Vicesg,

Imprimatur

F. *Thomas Pallauicinus Bononienſis Magiſter, & Reuerendiſsimi P. F. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.*

INVICTISSIMO ROMANORVM IMPERATORI MATTHIAE SEMPER AVGVSTO.

Fr. IOANNES felicitatem.

SAlue Cæſar, cui fauſta & excelſa precor. At quid imperio excelſius? Ipſe temperans, & pius animus, à quo bona honorifica, vtilia, delectabilia imperio adnata, vel circumfuſa in amplioris gloriæ momenta vertuntur. Profectò dum ea bona, quæ à mortalibus in orbe terrarum cenſentur maxima, erecto, intento-

que ad æternitatem animo ſubſternũtur, euadit ille ſublimior; vt bonis ipſis, quibus piè, ac temperanter vtitur, ad cæleſte regnum gradum ſibi ſtruere videatur. Huc ſcriptum collimaui, quod tibi Inuictiſsime Imperator, ſupplex offero, ratus id tibi acceptum fore; quod vel ex vno Ioanne Godefrido Epiſcopo Bambergenſi, Oratore tuo apud Summum Pontificem, Cæſarea legatione digniſsimo, non leuiter conieci. Ille quippè vir eximius, qui Romam mira prudẽtia, multa morum ſuauitate, & quod caput eſt, pietate ſingulari mirificè deuinxit, omninò peruincit, placere tibi pia conſilia, qualia hoc libro digeſsi.

geſsi. Si enim ille, alijque ſimiles, qui pietatem inſigniter colunt, tuo hærent animo; credendum proculdubio, pia monita facilè adhæſura. Vtere ergô Cæſar piiſſimè, ſcripto, quòd Imperatoriæ Maieſtati probatum lectorum animis altius imprimetur. Ego verò à clemẽtiſsimo Deo ſummis contendam precibus, vt ad Eccleſiæ Catholicæ tutamentum, hoſtiumque terrorem, tuum, per annos plurimos, pietate aſſertum decurrat imperium.

✠✠✠✠✠

LECTORI.

HONORES, *diuitiæ, voluptates, quædam effrænis appetitus irritamenta ſunt, quæ christianam diſciplinam labefactant, intellectus aciem retundunt, voluntatis vires eneruant: vt pium videri debeat, breui ſcripto eorum moderationem, vel etiam contemptum perſuadere: ne ſæuiſsimus noſtræ ſalutis hoſtis tam multiplici præda glorietur. Et quidem huc ego incubui, ſcriptúq; in partes diſcreui quatuor: quarum primã prænotionibus, ſecũdã honoris, tertiam diuitiarum, quartam voluptatum bono vſui, atque contemptui deſtinaui. Vtere, Lector, labore hoc, vt ſpretis, vel temperanter acceptis mortalitatis huius bonis, vera & æterna bona perquirat.*

PARS PRIMA.
DE PRAENOTIONIBVS.
Triplicis boni deſcriptio.
Cap. I.

SCRIPTORVM vniuerſorum conſenſio eſt, triplex boni genus eſſe, quo animus hominis permulcetur, honeſtum, vtile, delectabile: è quibus niſi vnum ſaltem obuerſetur animo, languet ille, & velut exanime quiddam decumbit. Honeſtum bonum eſt, quod hominem, quà homo eſt, facilè decet, qualis vera ipſa virtus homine ad rationis lineam actus exigente ſuos planè digna, pro qua æquum ſit labores ſummos exantlare, ac interdum occumbere. Bonum vtile appellatur, quod alterius boni parandi cauſa perquiritur, qualis pecunia, quæ perantiquo vſu honorificis, ac delectabilibus bonis obtinendis de-

dis deſtinatur. Delectabile bonum eſt, quod parit voluptatem, ad cuius illapſum cor laxatur, & quodammodo liqueſcit. Suppetunt exempla creberrima, ex varijs mortalium oblectamentis petita, quæ propria in ſede promentur.

Triplicis boni abuſus. Cap. II.

PRimum, ac ſanè pulcherrimum orbis terrarum florem non exigua ex parte, capitalis noſtræ ſalutis hoſtis, imagine veri boni, honeſti, vtilis, ac delectabilis graphicè picta decerpit, ac velut arentem ſyluam in tartari flammas detrudit. Quod vt efficiat, è claris natalibus, hæreditarijs opibus, ac feſtiuis conuentibus anſam arripiens, viros quoque chriſtiana primùm diſciplina excultos propemodum dementat, vt vitæ mortalis illecebris capti, ſempiternæque felicitatis obliti eò turpius peccent, quo auctiores honores, ampliora patrimonia, commodioresque explendæ libidinis occaſiones nacti ſunt. Quod quidem grande malum longè lateque proſerpſit, vt pium exiſtimetur

tur conſilium, appoſitis ſaltem rationibus ad coercendum palantem abuſum generoſos animos perurgere.

Triplicis boni comparatio.
Cap. III.

HOneſti laus prima eſt, quòd immortali hominis animo congruat, ſeruetque decorum ex verarum virtutum actibus ortum, quod bonis alijs, quorum animantes ceteræ conſortes ſunt, longè antecellit. Laus ſecunda boni delectabilis eſt, quod ex rationis præſcripto vſurpatum ad virtutis quoque cultum refertur. Poſtrema laus vtili tribuitur bono, quod ad alterutrum è duobus recenſitis, tanquam ad finem, ac proindè velut ad nobilius bonũ collimatur. Comparatio hæc ſpectato triplici bonorum genere profertur, cùm tamen ordine præpoſtero vtile, vel delectabile bonum paſſim honeſto præferatur, quod mortalium cæcitati, ac fragilitati aſcribendum, & pio ſenſu lugendum eſt.

Triplicis boni veri, apparentisq; diſtinctio. Cap. IV.

EXploratum eſt ſub nominibus ipſis honeſti, vtilis, delectabiliſque boni latère diſcrimen, quod penitùs noſſe oporteat. Viri quippe ſapientes honeſtum, quod decorum, vtile, quod ad bonum finem appoſitum, delectabile, quod licita ſaltem oblectamenta parit, appellant: Stulti verò bonum quouis genere honorificum pro honeſto, ſiue decoro virtutis; coaceruatas vtcumque opes pro vero vtili; obuia quæque oblectamenta pro delectabili ſincero ſupponunt. Quin etiam, vbi eis germana virtus ſorduit, apertè cenodoxia honeſti, auaritia immodica vtilis, effrænis obſcœnitas delectabilis boni verum ingenium refert: qua certè perſuaſione nihil exitioſius, cùm præceps animus in vetita bona excuſſo diuinæ legis iugo vehementiùs, quàm dici poſſit, belluarum more feratur.

Triplicis boni vera ratio.
Cap. V.

NEquit verum hominis bonum eſſe, aut propriè nuncupari, quod adiecta culpa fœdatur, hominiſque naturæ proinde diſſentaneum eſt. Quocirca, quoties in vſu honoris, opum, aut voluptatum homo intemperanter agit, cùm eo ipſo rationis arcem oppugnet, belluiſque potius quàm naturæ propriæ conſentiat, nihil veri boni percipere aſſerendus eſt, tametſi aliud ipſe imagine veri boni ſeductus opinetur. Verum quippe bonum hominis intemperantiam excludit, & vſum moderatum rerum honorificarum, vtilium, delectabilium rationis lumini congruentem admittit. Si quis ergo trium bonorum ſyncerum ſignificatum exoptet, appoſitè reſpondebit, qui ea tunc vera hominis bona eſſe protulerit, cùm rationi harmonicè conſonãt. Quod ſi chriſtianus demũ ſenſus expetatur, vera tria bona cenſebimus, vbi non rationi dũtaxat, quod

Athenienſibus, vel Lacedæmonijs ſatisfuerit, ſed Chriſti Euangelio attemperantur. Hæc naturæ hominis expolitio, & pia prouectio, triumque bonorum vera notio eſt.

Triplicis boni vſus lege diuina non interdictus. Cap. VI.

SAnè ſi verum bonum ab apparenti, moderatum ab immodico ſecernatur, luculentè patebit, honorum, diuitiarum, oblectationum vſum à lege diuina minimè reſpui, cum eiuſmodi vſus & rationi, & pietati conſentiat. Rationi quidem, vt patet ex ſententia Peripateticorum omnium, qui paſſiones rationis moderatione temperatas tanquàm motus ad lineam directos probarunt: ſi enim eiuſmodi paſſiones rationi congruunt, profectò & moderatus vſus triplicis boni, quod earum quaſi pabulum eſt: pietati verò, cùm conſtet & priſcis & recentibus exemplis, viros vitæ ſanctimonia conſpicuos boni nominis, cui honor adnaſci-

Refert S. Tho. 1. 2. q 24. a 2.

naſcitur, curam geſſiſſe, neque animi oblectamentā, quibus tædia eleuarent, & opes, quibus piè vterentur, recuſaſſe. Profectò boni conſulendus vſus, quem affectio nulla turpis à lege detorquet..

PARS SECVNDA.

DE BONO HONESTO, BONOQVE HONORIS parandi modo, & vſu.

Præmonitio. *Cap. I.*

NON fert animus, honeſtum preſsè, propriéque perpendere; ſed ex eo leuiter attacto ad honorem illi ſummo iure debitum compendiò gradum ſtruere, quod ſalubrius fore cenſui. Cùm enim honeſti boni ſignificatu virtus ipſa in primis notetur, per- S. Thō. 2 2. q. 145. a. 2.

ſpectumque ſit in vſu virtutum nihil non candidum eminere, contrà verò in honoris vſu grauiter plerumque peccari; ipſa ſcriptionis propoſitæ ratio exigit, vt honeſto indicato, & commendato, in opus honoris pertractandi totus incumbam.

Honeſti ratio. Cap. II.

HOneſtum idem eſt, ac ſpiritualis decor, ſiue pulchritudo. Hæc ex virtutum concinnitate componitur, & perſpicaces ſapientum oculos mirificè oblectat. Honeſtum bonum genere quidem ſuo ingenuum, & præclarum eſt, habetque quandam penè diuinam ad flectendos animos energiam, qua plerique non chriſtiani modò, verùm & ethnici, vt Romani, Lacedæmonijque minime pauci efficaciter allecti opes, vitamque ipſam profuderunt,

Ceterùm in hoc genere præſertim claruerunt Chriſti milites, qui honeſti ratione propoſita, ad vtilium, & delectabilium bonorum contemptionem, & cæleſtis regni, quod

vim.

vim patitur, expugnationem, per medios ignes, & infeſtos enſes impetum fecêre.

Honeſto debitus honor.

Cap. III.

HOneſtum bonum communi vniuerſorum hominum ſenſu appellatur, quod eſt honore dignum: ex quo plane conficitur, ex communi ſententia honorem honeſto deberi, bonosque æſtimatores liquidò perſpicere, quàm ſit excelſa honeſti dignitas, cui naturæ ductu ab vniuerſis mortalibus defertur honos. Res adeò comperta eſt, vt gens nulla tam ſit in orbe terrarum fera, quæ ſponte ſua non fiat honeſto bono vectigalis: imperij quippè vel militiæ honorem, non niſi viris virtutis laude præcellentibus reddit, vt ex recentibus Indorum occiduorum, & Braſiliorum liquet hiſtorijs. Si ergò barbaræ nationes honeſti decorem ſuſpiciunt & honoribus augent; quis vnquam inficietur, honorem bono honeſto deberi, & velut genus quoddam tributi rependi?

Quid-

Quidnam rei ſit honor.
Cap. IV,

S Th. 2. 2. q. 144. a. 3. ad 2. HOnor nihil eſt aliud, quam quoddam excellentiæ teſtimonium, quod externis actibus, cæremonijs, ſeu ritibus exhibetur. Habet affinem laudem, teſtimonium ſcilicet verbis redditum; & famam, nominis inquam celebritatem; & gloriam claram videlicet cum laude notitiam. Et quidem licet nonnihil diſcriminis inter quatuor hæc verſetur, quod ad praxim tamen, & morum correctionem attinet, ſatius eſt, diſcrimen eiuſmodi minime contemplari: ſed honoris aſpernatores, laudis quoque, famæ, ac gloriæ contemptores cenſere; honoris verò cupidos, laudis, famæ, ac gloriæ auidos exiſtimare, vt ſi iuſta eius appetentiæ ratio ſubſit, inſontes; ſi abſit, ſontes credantur.

Honoris æſtimatio. Cap. V.

S. Th. 2. 2. q. 103. ar. 1. ad 2. INter externa bona, honor primo in gradu reponitur, virtutique rependitur, tanquam genus præmij inter

ter mortales porrò maximi, quale Romani ſibi, Auguſtino aſſertore, ad ſalutem propriam Reipub. ſaluti poſthabendam propoſuêre. Nobilitati verò, ac diuitijs neque iure redditur, neque debetur honor, niſi quà conferunt ad obeundos virtutum actus genere quidem ſuo ſplendidos, ac honore iuſto repenſandos. Hoc, expenſo rerum genere: at vulgus rudi cenſura nobilitatem, & opes virtuti præfert, honoriſque momenta iniqua partitione diſpenſat.

Lib. 5. de Ci Dei c. 12.
S. Th. 2. 2. q. 145. a. 1. ad. 2.

Honoris appetentia. Cap. VI.

HOnorem ſicut & gloriam inculpatè expeti, quærique poſſe, ſi quis ea præſtare ſtudeat, quæ honore digna ſunt, honoremque ad bonum referat finem ſapientum conſenſio eſt. Suppetit efficax ratio: ecquis enim non animaduertat, honoris ſtudium ad virtutes colendas intentum, nec vllo turpi fine vitiatum reprehendi non poſſe: Accedit officium iuſtitiæ innixum, in ijs, qui præſunt, quos ità ſe gerere oportet, vt honore afficiantur. Ceterum in hoc genere affe-

S. Tho. 2. 2. q. 1 29. a. 1. ad 3. & q. 132. a 1 ad 3. vbi agit de gloria.

ctus, tamquàm equus ferox adductis habenis continendus eſt, ne prætextu virtutis, aut officij, non tam virtutis decorum, & officij opus, quàm exortum indè honorem exquirat. Degeneres quippe animos deferendus honor acrius, quàm explenda virtus extimulat: eaque de cauſa aliud mortalium oculis obtendunt, aliud intus verſant, & dùm pietatem colere videntur, prophanum opus moliuntur, & pro antidoto venenum hauriunt.

Honor quomodo quærendus. *Cap. VII.*

EO planè modo quærendus honor, quo à viris magnanimis perquiritur: quorum ſtudium, non in honorem tanquam in finem, ſed in honeſtum, cui honor debetur, bene librato diſcrimine perfertur. Honor nempè à viris magnanimis non tanti penditur, vt eius gratia generosè agant; cùm ab eis parum pretioſus cenſeatur, pretioſiorque videatur, & excelſior virtus ipſa, qua honore digni

gni euaſerunt, quod ſanctus Thomas 2. 2. q. 129. altè perpendit. Appoſitus ergo quærendi honoris modus erit, non ille, quo antiqui Romani ordine præpoſtero vſi ſunt, dum virtutis cultum ad honorem parandum retulerunt, quod vitio vertit Auguſtinus; ſed ille potiùs, quo viri chriſtiani facilè ſapientes ac pij vtuntur, dum aſſueſcunt præ honore æſtimare virtutem, cui honores multiplices velut conglobati tenaciter adhærent. Virtus arbor procera eſt, cui honor velut hedera adnaſci, ac ſerpendo adſtringi conſueuit.

a. 1. ad 3.

Lib. 5 de Ciu. Dei cap. 12.

Quibus actibus paretur honor.

Cap. VIII.

Conſtitutum eſt, honeſto bono, ſiue virtuti honorem omnium gentium conſpiratione deferri. Actibus ergò virtutum natiuo ſplendore lucentibus, ſpectatoreſque ſuos ad venerationem flectentibus honor acquiritur: eodemque ex capite laus, fama, gloriaque promanant, celerrimoq; volatu terrarum orbẽ peruagantur

gantur. Etſi verò lectiſſimum virtutum agmen recenſeri hoc loco poſſet, vt honeſti pulchritudo ſeſe auidiſſimè ſpectandam,& honorandam exhiberet; propoſito tamen ſat erit, ſelectas nonnullas ſubiecta per capita breuiter perſtringere, quarum laus orbe toto percrebuit.

Sapientia paratur honor.
Cap. IX.

NVlla vſpiam gens adeò fuit inculta, quæ viros ſapientiæ opinione claros non coleret, atque ſuſpiceret. Notum eſt antiquos Aegyptios, Caldæos, Hebræos, Græcos ſapientiæ fama claruiſſe; qui quantis ſapientes honoribus augerent facilè perſpiciet, cui ſuccurrerit Ioſeph à Pharaone, Daniel à Nabuchodonoſor ad principatum euectus, Salomon adoleſcens ab Iſraele celebratus, ſeptem Sapientes à Græcia laudati. Texuerunt Scriptores plerique claſſici ſeriem virorum illuſtrium, quorum ingenia perſpicacia, & ſuſcepti pro ſapientia comparanda labores Rebuſp. velut clariſſima lumi-

na affulſerunt. At laudent alij Thaletem, Solonem, Periandrum, plurimosque Philoſophos, quos parta labore ſummo ſapientia ab interitu ſempiterno minimè præſeruauit; ego verò libentius commendabo Baſilium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, plurimosque alios diuinos Theologos mites, ac humiles, quorum ſapientia puriſſima luce reſplenduit, & poſt acceptos in hac vita mortali honores, æternum decus, repenſa doctrinæ aureola peperit.

Pietate paratur honor. Cap. X.

DEi cultus honores procreat ſanè maximos, vbi creditum eſt viros pios, nihil ſpecioſum, opulentum, voluptuoſum admittere, quod cum diuinæ maieſtatis cultu ægrè cohæreat. Hinc olim Iob fama mirificè aucta. Hinc Conſtantini laus porrò maxima, quam Auguſtinus amplificat. Credo equidem Imperatores ethnicos pietatis imagine ſeductos confictorum numinum cultum propagare, & in chriſtianos Martyres ſæuire auſos, quòd hinc honori ſuo apud

Lib. 5. de Ciu. Dei cap. 15.

apud mortales conſulerent. Tanta quippe fuit apud homines vniuerſos vel falſæ pietatis ad honores conquirendos appoſitæ perſuaſio. Quid ergo ſi veræ pietatis firmitas ſubſit?

Iuſtitia paratur honor.

Cap. XI.

CVltus iuſtitiæ, vel quæ in diſtribuendis Reip. muneribus, vel quæ in legum cuſtodia, vel quæ in rerum contractarum fide verſatur, ad hominum exiſtimationem ſummoperè conducit. Cui ſanè veritati fidem conciliat parta nominis celebritas à Romanis, quos iuſtitiæ cultus orbe toto fecit inſignes. S. Auguſtinus refert ſententiam Catonis iuſto Romæ imperio Reip. felicitatem aſcribentis. Nimirùm clariſſimus tantæ virtutis ſplendor eſt, quem barbaræ quoque nationes quantumuis excæcatæ mirantur: quemadmodum è contrario iuſtitiæ læſionem deteſtantur, & horrent: quod in fœderibus ſeruandis, & in ablatis prædis reſtituendis, ab ineunte mundo ad hunc vſque diem frequentiſſimis exemplis perſpectum eſt. *Fer-*

Lib 5. de Ciu. Dei c. 12.

Fortitudine paratur honor. *Cap. XII.*

FOrtitudo, quæ honeſti gratia mortis diſcrimina minimè formidat, ad honorem perquirendum appoſitiſſima eſt, quod ex Hebræis Machabæi, è Græcis Lacedæmones, è Latinis Romani peruincunt. Quod ſi viros in hoc genere ſtrenuiſsimos, vel antiquos, vt Alexandrum Macedonem, Scipionem Aphricanum, aliosque Duces inuictiſsimos; vel recentis memoriæ, vt Indorum occiduorum, ac orientalium domitores meminiſſe libeat; profectò liquebit; bellica fortitudine ampliſſimos, æſtimatione mortalium, honores parari, quod ad perennem celebritatem à fidiſſimis hiſtoricis memoriæ proditum eſt. Porrò ætate hac noſtra pleroſque viros obſcuro loco natos militaris fortitudo ad honores maximos prouexit Si aũt ad obeundos fortitudinis actus pietatis firmamẽtũ accedat, plurima nominis claritas, plurimus gloriæ ſplendor exoritur

ritur, quod ex pijſſimorum Imperatorum, ac Regum rebus geſtis ad Eccleſiæ tutamentum, & catholicæ fidei propagationem intentis, euincitur.

Honoris contemptu paratur honor. Cap. XIII.

OPportuniſſimus ad honorem acquirendum contemptus honoris eſt Cùm enim nemo piè aſpernetur mortalium honorem, niſi immortalis glorię ſtudio incenſus; profectò eo ipſo, medijs eximiarum virtutum actibus, bonum honeſtum auctiore affectu, & nauitate ſectatur. Si autem honeſto ipſi honor adnaſcitur, vt ſuperiùs poſuimus, porrò ipſamet ſpernendi honoris magnanimitate efficacius, quàm poſsit exprimi, honorem cumulatiſſimum mundi aſpernator acquirit. Quod ſi exempla lector expectat, reſpondeat ipſe, quis nam è mundi ambitoribus honorem tam ſedulò quæſiuit, ac Alexius deſpexit? Quis vnquam ex ethnicorum proceribus tam efficaciter

hono-

honoris occaſiones captauit, ac Ambroſius vel Gregorius fuga, vel latebris vitare cõtēdit? Et tamē Alexius, Ambroſius, Gregorius alijque permulti antiquiores ex prima Ieſu Chriſti cohorte, præter ſépiternā decus, quod honoris deſpectu pepererūt, decretos etiā in Eccleſia honores habent, quos Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, ac Romanorum Imperatores, quantumuis ab hiſtoricis celebrati nanciſci minime potuere. Finis rerum triſtis, aut lætus alta præmeditatione à viris prudentibus ſpectandus eſt. Si autem finis ratio præſertim habenda ſit, qualem cenſebimus honorem, quem infamia æterna ſubſequitur? Qualem verò deſpectum, cui ſumma in celeberrimo Dei, Angelorum, vniuerſorumque hominum theatro, laus, & nunquam interitura fama ſuccedit?

Bonus parti delatiq; honoris vſus difficilis. Cap. XIV.

PLerique antequam honore affici coepiſſent, virtutis cultu claruerunt,

runt, quos tamen delati honoris irritamenta grauiter ſauciarunt: quod exemplis aſſeritur eorum, qui ad regnum elati, & quaſi vertigine quadam correpti turpiùs peccarũt, quàm dum ventis parùm ſecundis agerentur. Teſtis locuples Dauid, qui iam rex auſus eſt, quæ dum reflarent venti, minimè tentarat, vel admiſerat, vt prætereamus ſexcentos alios, qui prolapſi cum fuerint, non æquè ac Dauid, obductam honori primo nebulam deterſerunt; vt rarum, difficileque credatur, temperanter vti honore, qui, tanquàm generoſum vinum immoderatè hauſtum, pleroſque dementat. Hinc efficitur, vt dum honores circumfluunt, vir quiſque pius occulatiſſimè agere debeat, ne metam excedat, vt mox dicetur.

Honor meritis, aut dignitatis gradu maior reſpuendus.

Cap. XV.

IN præſcribendo bono honoris vſu, prima præceptio ad proportionem, ſiue menſuram pertinet: vt ſcilicet

licet honorem meritis, aut dignitatis gradu auctiorem reſpuat, cui minus honoris debetur. Suppetit præclariſsimum Io: Baptiſtæ exemplum, qui cùm de ſua rogaretur dignitate, poſſetque de ſe ipſo grandia ſane proferre; Chriſti primùm paritatem detrectauit, mox inſtantes interrogatores mira animi demiſſione remiſit. Io. 1.
Raro id legas, exceptis hiſtoriis paucis virorum apoſtolicorum, qui non maiorem modò, ſed ne parem quidem venerationem, niſi officio cogente permiſerunt. In hunc planè ſelectum refertur numerum S. Bernardus, qui genuenſem, ac mediolanenſem, alioſque Epiſcopatus oblatos recuſauit, ſe munere tanto indignum profeſſus, & S Thomas Aquinas, qui ab Vrbano quarto Romam vocatus adduci non potuit, vt honores acciperet, quos procul dubio merebatur auctiſsimos.

Æqualis honor, ne dum maior, moderatè admittendus.
Cap. XVI.

TAmetſi qui perfectionis chriſtianæ opus grande moliuntur, quemuis honoris gradum, niſi officio cogente, reijcere potius, quam admittere conſueſcant; maior tamen eſt numerus eorum, à quibus honor æqualis minimè reſpuitur, quibus moderatio impensè commendanda: non ſanè vt externum propulſent honorem, cùm ex officio nonnunquam exigi debeat, vel ab alijs ſpontè delatus repelli non poſſit; ſed vt affectum coërceant, ne pabulo illo gliſcat, & præſcriptos à ratione fines tranſire geſtiat. Solent qui de interioris hominis cultura feriò cogitant, interim dum ſolitis honorantur ritibus, ſe ſe internis animi motibus, vel etiam modeſtiſſimis verbis, ac geſtibus ſpernere, ac neglectu dignos meditari, atque fateri: quod certè conſilium ad continendum in officio animum ſaluberrimum eſt.

Sic

Sic Abraham, cùm Deus illum honorificentiſſimè tractaſſet, verbis illis:

Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum; cùm futurus ſit in gentem magnam; ac robuſtiſſimam &c. Gen. 18.

Licet animaduerteret, quàm fidenter cum Deo agere poſſet nihiloſeciùs pro Sodomis precaturus, hoc ſe ipſum modò deſpexit:

Loquar ad Dominum meum: cùm ſim puluis, & cinis.

Doctrina hæc altè imprimenda, & recolenda eſt.

Delatus honor in Deum referendus.
Cap. XVII.

SIue virtutis, ſiue dignitatis, officijue occaſione, quis honoretur, pius, homineque chriſtiano planè dignus erit vſus, ſi in Deum totius boni auctorem delatum honorem referat, memineritque non ſibi ſui gratia, ſed cauſa bonorum, quæ à Deo accepit, cultum afferri. Hoc ſi crebrò cogitet, penſitetque dum honore afficitur, temperanter aget, more virorum

ſanctitate pręſtantium, qui honorem velut rem alienam in manus acceptam, Dominoque proprio reddendam admittunt. Sic Petrus, cùm claudum perſanaſſet, magnamque ſui excitaſſet admirationem, ſtupentis populi laudem in Chriſtum regeſſit, per verba hæc:

Acto.3. *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, &c.*

Relatio hæc honoris in Deum, egregium pietatis argumentum eſt.

Non facilè aperienda quæ honorifica ſunt.
Cap. XVIII

PArs generis humani certè maxima, nimiùm procliuis eſt ad ea propalanda, quæ ſui admirationem auditorum animis ingenerant. Quocirca arreptis vndecunque occaſionibus, quaſi aliud agentes innumeri

morta-

mortales, vbi minùs cōgrueret, propria merita ad rem de qua agitur mirifficè coaptant, reſigant, atque contexunt. Occurrit amicus, mediaque in via tanquam ſalutaturus inſiſtit, & dum ſalutem dicit, cœpto ſermoni argutè ſua præconia intexit; aitque ſe habuiſſe obuium principem, qui eum, non grato dumtaxat intuitu, ſed currum quoque imperans ſiſti, colloquio dignatus eſt, quod ille cōmemoratis meritis, aut officijs, quæ familiaritate principis virum dignū efficiant, oratorio more amplificat, vt honore proculdubio dignus exiſtimetur. Aegritudo animi grauiter affecti eſt, à qua paucos videas perſanari. Remittit tamen vis morbi, vbi quis intra rationis orbitas ſe continet ipſum, linguamque penè exertam cohibet, ne ad promenda, quæ honorifica ſunt, licēter exultet: quod viros prudētes, atque magnanimos decet. Iā verò ſi quis non modò celet honorifica, ſed pietatis gratia, vilia prodat, porrò inter mundi cōtēptores planè fortiſsimos celebrādus eſt.

Honorifica interdum aperienda, & honor exigendus.

Cap. XIX.

EAE ſanè circumſtantiæ concurrere poſſent, quæ laudem propriam, & honoris ab alijs deferendi exactionem honeſtarent; præſertim vbi pietas alias minuenda, id officium ſuggeret. Huc ſpectat illud Iob:

Iob 27. *Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea:*

Et alia permulta, quibus ſe commendat ipſum. Huc etiam facit illud

2. Cor. 12. Apoſtoli: *Ego à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* At quotuſquiſque eſt, qui ea cordis puritate niteat, quam laus propria, & repetitus honor minimè obnubilet?

Quænam meditationes conferant ad moderatum delati honoris vſum.

Cap. XX.

COnfert primùm ſaucia peccato conſci-

conſcientia. Si enim, qui vel vnius culpæ mortiferæ conſcius eſt, certò nouit, ſe dedecus æternum commeruiſſe, neſcitque culpam expiatam eſſe; quomodo non ſe honore delato indignum cenſebit? Quomodò, dum ſe introſpicit ipſum, affectum honoris non reprimet, ratus præclarè ſecum agi, ſi iam in tartareo carcero infamiæ publicæ non geſtet inſcriptum? Conducit mox ad rem hanc ipſa vanitas honoris, qui adeò eſt infirmus, & mutationi obnoxius, vt modicè propterea expetendus, ac æſtimandus ſit. Hodiè mundi ſectator agglomeratis præconijs effertur in aſtra: cras in eodem theatro maledictis proſcinditur, heſternamque claritatem inopinata extinguit eclypſis. Huc etiam ſpectat, quod ſceleſti homines paſſim honore afficiuntur ampliore, quàm pij, neque ex honore delato firmum virtutis argumentum duci valet. Denique ad rem hanc pertinet altioris ſpes honoris, intenta nimirum æternæ nominis celebritati mens, quæ dum melio-

ra contemplatur, non æquè bona lentius appetit.

Honoris, gloriæq; humanæ contemptus.

Cap. XXI. §. I.

COgitanti mihi de humanæ gloriæ contemptu ſubit imago fragiliſſimi boni, quod à mortalibus, diligentius, quàm dici queat, exquiritur. Quæ quidem imago inconſtans, & innumeris caſibus obnoxia refert mihi multiplices cogitationes, quas homo laudis cupidus in aliorum animis excitare ſatagit, vt excelsè de ipſo opinentur, atque loquantur: vt verum ſit, ambitioſum hominem de affectu proprio rogatum reſponſurum, ſi vera proferre velit, torqueri ſe immodica humanæ gloriæ appetentia, eaque vrgente contendere, quibus poſſit artibus, atque laboribus, vt vir eximius, ac proindè claris elogijs dignus exiſtimetur, vndè honoris, & laudis ſeges multa proueniat. Hoc bonum, quod ambitioſus affectat.

§. II.

§. II.

VT ergo ex infirmiſſimo rei genere ducam exhortationis originem, rogo quis adeò ſit mentis impos, qui non animaduertat, certo ſciri non poſſe, quid alij mente concipiant, quidùe credant, an ſeriò colant, vel honorem ſimulent; cum ſæpè in ſe ipſo quiſque experiatur ſenſum verbis, ac geſtibus diſſentaneũ, improbetque ac vituperet animo, quæ probare, prædicareque cenſetur. Si ergo ambitioſus homo tales ſuorum meritorum teſtes omnino habiturus eſt, qualis ipſe aliorum teſtis, & cenſor eſſe conſueuit; quomodo auram popularem tam cupidè aucupatur, & non potius deſpicit, quod contemptu planè dignum expetitur.

§. III.

CEterùm qui gloriæ vanæ cupiditate flagrat, fortaſſe reſpondebit, ſe internos aliorum motus, ac ſenſus minimè introſpicere, ſatiſque ſibi pretioſum videri honorem extrinſecùs delatum, & famam communi ſermone vulgatam. Verum chriſtianum hominem appello, qui quo ambitioſior, eò laude indignior eſt; rogoque cur tanti faciat externam nominis celebritatem, qua ſe nouit indignum? Et vt rem exactiùs pertractemus, rogo, an mortalium ſermones veris virtutibus, quibus caret, præferat, vel poſthabeat? Eſt parùm ſapiens, fortis, magnanimus, & nihil attentat, vt ſapientia, fortitudine, magnanimitate putetur excellere. Reſpondeat ergo, quid de honore, nominiſque claritate virtuti comparata opinetur. At quorſum ab homine ſententia propria conuicto reſponſum elicere cogito, cùm perſpectum ſit, illum perpetua hypocriſi laborare, pro nihiloque ducere, quis nam ſit, ſolumque conari,

qualis,

qualis,quàm ſcilicet eximius, quàm colendus,exiſtimetur?

§. IIII.

QVòd ſi obijcitur ei ratio multiplex orta à catholica fide, quæ Deum internæ indignitatis cognitorem repræſentat, iudiciaque mortalium diuino iudicio diſſentanea reſpuit, quid ille integrum,quid pium poſsit expromere,vt ſe conſcientia propria fœdatum expurget? Nihil certè caſtum proferet,cùm totus Deo ſordeat. Si ergo chriſtianus homo,affulgente fidei lumine, nouit ſe Deo vileſcere,eúq; dumtaxat probatum eſſe, quem Des commendat; quomodo ſpreto Dei honore in hominum gloriam tam vehementer exæſtuat? Quorſum noctes ducit inſomnes, & cum valetudinis,reique familiaris iactura captat laudis occaſiones,incredibilique ſolicitudine ſe ipſum excruciat?

§. V.

AT delirus homo non facilè acquieſcet, ægreque de ſententia honoris ſectandi decedet. Permitta-

mus ergò animo tam grauiter affecto ampliſſimos mũdi honores, quibus Reges, Imperatoreſque mortales claruêre, vitaque per annos mille honorata procurrat. Rogo verò nũc, expleto eo annorum numero, quid ſi infamia ſuccedat? Quid ſi homines qui antè prædicabant, conſilio mutato vituperent, ac deteſtentur? Profectò è medijs Regum aulis, viri honoribus cumulatiſſimis elati, tragico euentu, poſt annos plurimos, in ſordidam vitæ conditionem deturbantur, eo præſertim tempore, quo ſe feliciores fore ſperabant, quod antiquis, & recentibus liquet hiſtorijs. Præmeditetur ergo ambitioſus homo quod alijs mundo, quod antè probarat improbante, contigit; cogitetque in eam ſortem aduerſam ſe poſſe deuolui.

§. VI.

VErum meditatio hæc homini honoris cupido inſuauis, & importuna videbitur, neque facile peruincetur, vt credat ſe ex numero eorum fore, quorum elapſa gloria ſucce-

ſuccedente obtenebratur infamia. Suggerit quippe immodicus ſui amor blandum proſperitatis ſenſum, & ſpem inanem conficta dumtaxat firmitate ſubnixam. Ceterùm indulgeamus ægro animo commentum hoc ſperatæ gloriæ nullo caſu aduerſo in hac mortali vita delendæ, & vſque ad ſupremum halitum integra, vel etiam aucta decurrat. Inſculpat nomen & titulos honorificos marmoribus, & virorum illuſtrium catalogo ſeipſum attexat. Rogo tamen, quid laus hæc apud Maieſtatem Diuinam, & cæleſtem curiam ponderis habeat? Si nomen ſcriptum non ſit in libro vitæ, quid proſunt ſtemmata, & nimiùm accurata apud mortales humanæ gloriæ monumenta? Si ad tribunal Chriſti ambitioſus homo æterni dedecoris reus peragatur, è veſtigioque pertrahatur ad flammam; quid obſecro ſolatij è relictis apud mortales titulis poſſit haurire? Mirum planè videtur chriſtianos homines harũm rationum conſcios dedecus futurum tam

ſegni-

ſegniter præcauere: ſi enim decem, aut viginti annorum infamiam incredibili ſollicitudine detrectant, cur non formident æternam?

§. VII.

IAm verò ſi perpetui dedecoris meditatio lentè moueat, ſubeat ſaltem ſempiternæ gloriæ pia cogitatio, quæ generoſis animis calcar adſtringat. Paranda olim ſummis periculis ac vulneribus laus fortiſſimos viros procreauit, qui è media Græcia, & Latio erumpentes feros populos debellarunt, & in patrias ſedes victorias clariſsimas retulerunt, id in primis moliti, vt faſtis aſcriberentur. Cur ergo viros chriſtianos ſucceſſorum in vniuerſorum Angelorum, & hominum theatro decus non moueat, & reddenda ore ipſius Chriſti laus non demum extimulet, vt veras virtutes arduitate rerum ſuperata colant, de mundo proculcato trophæum erigant, & inter domeſticos Dei, ciueſque ſanctorum recenſeri feſtinent? Triumphus curru à leonibus, elephantiſue tracto

Romæ agendus, oſtentanda aſiana, vel aphricana ſpolia & inſcribenda albo victorum nomina viros illuſtres ad ſummos labores exantlandos perpulerunt: quomodò ergo Chriſti cultores cæleſtis gloriæ claritas, honorificentiſſimus in Dei ciuitatem ingreſſus, inſcriptum libro vitæ nomen, & imponendum coram cæleſti curia diadema regium lentè adeò mouet?

§. VIII.

O Vale, obſecro, decus à mundi cōtemptoribus parabitur, cùm in ſupremo iudicio, cœleſti ſplendore lucentes, & maieſtate regia ſublimes, à Chriſto ipſo cauſarum cognitore, mundo vniuerſo ſpectante, ſummo præconio laudabuntur, & bonorum operum, quæ ipſi occulere certarūt, monēta diuinis bilancibus expēſa totius generis humani oculis obijcientur? Profectò ſatis exprimi nequit honor ille tartari, & mundi domitoribus acclamatione ſumma deferendus: quod reprobi ipſi inſaniæ ſuæ demum conſcij atque conuicti ſera

ſti ſera pœnitentia fatebuntur in hunc modum:

Sap. 5. *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem impropetij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

Quid maius, aut honorificentius excogitetur, quàm inter filios Dei, regni ſempiterni hæredes, ſanctoſque diuinæ lucis candore ſplendentes recenſeri? Quis adeò ſit cæcus, vt non immenſis laudibus efferat prudentiam planè diuinam eorum, qui breui, leuique huius vitæ deſpectu, velut pretio modico, ineffabilem gloriæ illius dignitatem compendio multo mercantur?

§. IX.

QVid, rogo, monachus taciturnus, inops, in antrum abditus, & in declinanda mundi gloria vigilantiſſimus ſentiet; cùm in Angelorum, hominumque cœtu frequentiſſimo,

ſimo non à mendacibus vitæ mortalis oratoribus, ſed ab ipſa Dei Sapientia, & Veritate, ab ipſo inquam Chriſto, quæ bona cogitauit, & præſtitit, laudari cernet? An verum non probetur, quod Euangelio ipſo expreſſum eſt in hæc verba; Matth. 10.

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo?

Et illud:

Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei? Lucę 12.

Si ergo è latebris in lucem producenda ſunt bona, quæ nominis æterni claritatem honoris aſpernatoribus adeò conciliabunt, vt mundus vniuerſus ad ſpectaculum conuocatus demiretur; quid ad parandum decus magis appoſitum, quàm honoris fuga, vel contemptio? §. X.

HInc, credo equidem, qui rerum cœleſtium dignitatem perſpicaciter contemplantur, intimè dolent, vbi honores mundi circumfluunt, ne fortè ſynceri, ac ſempiterni hono-

honoris iacturam faciant iniqua commutatione deluſi. Quo quidem in agmine lectiſſimo recenſeri poteſt Alexius Romanorum nobiliſſimus mutata veſte, nouaque mundum arte deludens. Recenſeri etiam poteſt Alexander ille, à conficiendi carbonis arte cognomento Carbonarius, qui cùm eſſet ſapientia tum acquiſita, tum infuſa eximius, arte ſordida ſe mortalibus deſpicabilem exhibuit, ne obrepente humanæ laudis vanitate, ab immortali Deo ſperneretur. Hoc etiã in agmine meritò numerentur plerique mundi contemptores, qui generis claritatem, & dignitatum eccleſiaſticarum, vel ſæcularium ſplendorem ſuſpectum habentes, maluerunt veſte monaſtica humillimè tecti ſe ſe arridenti mundo ſubtrahere, quàm gloriæ vanæ præſentiſſimo periculo credere: quorum exempla nonnulla ad permouendos animos efficaciſſima ætas quoque noſtra perſpexit.

§. XI.

O Quàm errat grauiter, qui de hono-

honore conquirendo ſollicitus, futurum non præmeditatur, ſed præſenti totus adhæret. Si enim prima ſedes, primus honor, laus prima inter mortales principes ſummoperè æſtimatur, nonne extremæ ſtultitiæ genus eſt, ita futuræ gloriæ obliuiſci, vt non ſubeat cogitatio vlla ampliſsimæ pollicitationis Chriſti aientis:

In regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c. Matth. 10.

Quàm ſublimis, quàm honorifica ſeſsio illa, quæ apoſtolicos viros à mundo neglectos ad ſummum honoris faſtigium euehet, interim dum Pharaones, & Cæſares, quos mundus inter diuos retulit, tragico ſpectaculo decumbent, ad perpetuam inferorum ignominiam, tremendo mox anathemate repellendi?

§. XII.

QVid iam de incredibili famæ propagandæ appetentia ſubtexam? Si chriſtianum hominem famæ

mæ poſt obitum per annos, & ſæcula decurſuræ ſollicitudo vexat, & quid homines de ipſius moribus, & actibus poſt ætates multas opinaturi ſint, anxiè proſpicit; quomodo non ſuccurrit celebratum illud:

In memoria æterna erit iuſtus?

Fateor certè, hominem humanæ glorię auidum, occaſione marmoris, cui ſuum nomen inſculpſit, vel turris, quam extruxit, ad mortalium memoriam reuocandum, quod ipſe ambitiosè expetiuit: at qualis putetur laus hominis vita functi, cuius dum fit mentio, ſubit animum viuentium anceps cogitatio, ne fortè qui ſe ipſum extulit, & nomen ad poſteros transferre vehementer optauit, æterno dedecore obſcuretur, & ab ingenua filiorum Dei ſocietate depulſus, infamia nunquam abolenda laboret? Qualis cæcitas, qualis dementia hæc, quæ claritatem nominis breui extinguendam adeò intemperāter affectat, & gloriam regni Dei, quæ nullo aduerſo caſu obliterabitur, minimè curat?

§. XIII,

§.XIII.

BEati ſanè cenſendi, qui ſpreta mundi exiſtimatione, honores cæleſtes altè contemplantur, & indefeſſa contentione perquirunt. Benè profectò eſt, vt ſicut opes penuria, ita honorem deſpectus antecedat. Lugeant modo Chriſti milites inglorij, calumnijs, & criminationibus impetantur, maleque apud homines audiant; fida tamen memoria ſeruent illud:

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Pſ.125.

Ne pigeat, dum præterit figura mundi, inter veros Iſraelitas in captiuitatem abductos tãtillum deprimi, donec ab exilio reuertantur in ſupernam Ieruſalem, vbi ſplendor eis oborietur æternus. Incedant nũc demiſſo capite contumelijs, & conuicijs pudefacti, qui audituri ſunt: Luc.21.

Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Redimentur quippe ab improperijs, &

rijt & luctu,& in clariſsimum gloriæ ſtatum afferentur.

§. XIV.

INtueatur iam lector, quem honoris infeſtat ambitio, exemplar noſtrum Chriſtum, qui maledictis proſciſſus, & infami mortis genere ab hominibus damnatus eſt. Conſideretque, quanta ex opprobrijs, & deriſionibus gloria ſuccreuerit; quàm longè ab honore quærendo Redemptor noſter abfuerit, quantoque proindè honore, deuicto iam mundo, tartaroque fruatur. Hæc regia, & militaris via eſt, quam generoſi, atque magnanimi viri, qui ſibi propter regnum cœlorum, vim afferunt, animo verſant, & omninò metiri decernunt. Gloriam ergò mundi fluxam, ſponteque ſua concidentem ſapiens lector proculcet; erectoque animo decus nunquam interiturum, in adoptione filiorum Dei, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, inuicta fortitudine, ac ſedulitate conquirat.

PARS

PARS TERTIA.

DE BONO VTILI, BONOQVE DIVITIARUM Vſu.

Præmonitio. Cap. I.

NON mihi agendum de bono vtili, quàm latè patet, ſed quà diuitias reſpicit, quarum acquiſitio, proportio, & vſus pio ſenſu perpendenda ſunt, vt lector cupiditatis vela contrahat ad legis lineam, qua rectè viuitur.

Diuitiarum genus. Cap. II.

DIuitiæ genere quidem ſuo nec laudi, nec vitio vertuntur; cum in partem vtramque materiam ſuggerant, alijſque virtutis, alijs verò maleficij inſtrumenta ſint. Genus ergo cùm ſit indifferens, ex circumſtantijs varij vſus in vituperationis, aut laudis argumenta cedit. Laudatur diues pius, ac liberalis, impius carpitur, & tenax.

Abraham profecto locupletiſſimus fuit, aſſertore eius œconomo, in hæc verba:
Gen. 24. *Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusq; eſt: & dedit ei oues, & boues, argentum, & aurum, ſeruos, & ancillas &c.* Iob item ditiſſimus fuit, vt liquet ex verbis illis:
Iob. 1. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, &c.*

Sed Abraham è tentorij oſtio beneficientiæ occaſiones captabat, vt tranſeuntes non liberaliter tantùm
Gen. 18. exciperet, verùm quodammodo cogeret. Iob item de ſe ſic effatus eſt:

Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit:

Multaque alia, quæ in hunc ſenſum congeſſit. Hinc Abrahæ, ac Iobo opes in encomia verſæ ſunt. E contrario verò Nabal, homini ſcilicet diuiti, ſed auaro, ac ſtulto, diuitiæ in dedecus ceſſerunt, ipſa eius coniuge aſſertrice, quæ ſic Dauid iratum affata eſt:

Non ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt. 1.Reg. 25.

Hoc eſt elogium diuitis vnius tenaciſsimi, cui alii perſimiles paſſim quoque cernuntur.

Diuitiarum acquiſitio. Cap. III.

CAuendum ne iniuſtè parentur, vel accipiantur; nam ſi inculpatè partæ animum grauiter afficiunt, quid mali non afferent, quæ vſuris, furto, fraudeue extorquentur.

Profectò exitioſa ſunt tela, quibus anima ipſa perfoditur. Huc reſpexit Apoſtolus, qui cupidos homines à diuitiarum ſtudio vehementer dehortatur ſuo quidem exemplo, & malis è cupiditate ortis, in hæc verba: 1.Tim. 6

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, &

deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

Hæc Apoſtolus, quæ ad retardandum auaritiæ impetum adeò ſunt efficacia, vt argumenta nulla neruoſiora excogitari poſſe videantur. Quid enim fortius ad viri chriſtiani animum reprimendum, quàm ex Apoſtolo noſſe, imminere ſibi catholicæ fidei amittendæ diſcrimen, ſi cupiditati laxet habenas? Cauendum ergo, ne dum hinc indè immoderatè corraduntur opes grauia coagmententur & vitia, quæ obdurentur in callos, quos cordi obductos recidere, difficillimum eſt.

Diuitiarum quantitas.
Cap. IIII.

NOn maior copia expetenda, quàm quæ ad opera virtutum præſtanda conferat, vt ſcilicet ſuppetat

petat ad iuſtitiæ,charitatis,liberalitatis,aliarumque virtutum actus exercendos, quibus Deo, ſibi, ac proximis quiſque ſatisfaciat. Si quis ergo vltra eos fines affectum protendat,culpa minimè vacat;quæ pro exceſſus modo grauior, leuiorque cenſebitur.Meta præfigenda eſt.Huc ſpectat,quod Salomon precatus eſt:

Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi:tribue tantum victui meo neceſſaria: ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam; Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei. Prou.30.

Hæc Salomon; Qui dum ait, Diuitias ne dederis mihi:priuati hominis perſonam agere videtur; nam reges oportet opulentos eſſe,vt largiùs erogent. Obſeruanda ſunt capita duo rationum Salomonis, ſaturitas,& egeſtas, quarum prima fatetur illici animum ad Maieſtatem Diuinam abnegandam, ſecunda ad furta,& periuria perpetranda: quod paſsim non abſque luctu conſpicimus. Diuites

enim impij,ſibi ſe ſat eſſe rati,Deum minimè colunt:inopes penuriæ impatientes,vt victum conquirant, ſe ad omne maleficium, tanquàm venales exponunt.

Diuitiarum qualitas. Cap.V.

NAturales diuitiæ, quales terra culta,armenta,ſyluæque refundunt, præferendæ artificialibus,quales cambijs,multiplicique contractu parantur. Hæ quippè in varia monſtra graſſante aduerſus Dei legem cupiditate,degenerant,facilèque intereunt; illæ Dei iuſſu proueniunt, diutiſſimèque perdurant.

Sanè diuitiæ hominum primæuæ naturales fuêre,quæ in Scriptura ſacra paſſim lectitantur: temporis autem excurſu incredibilis ſollicitudo inualuit,quæ ad commentitias formas ,multiplicibus laqueis innexas homines impulit:è quorum numero, dolendum , quàm multi deficiant, grauiterque mulctentur. Quod verò præſertim lugendum videtur,culpa, & remorſus eſt, quo conſcientia iniqua

qua torquetur. Plerique diuitijs artificialibus aucti, per annos plurimos, Theologos multos conſulere non deſiſtunt, vt conſcientiam renitentem ſedent, & antequàm lites dirimant, triſti præſagio, è vita migrant, quod animus horret.

Diuitiarum poſſeßio. Cap. VI.

ITa opes poſſidendæ, vt non hæreant animo, magniùe fiant, neque enim cum affectu, æſtimationeque immodica pius, ac liberalis vſus cohærere poteſt. Huc reſpexiſſe videtur diuinus vates, vbi monuit:

Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Pſ 61.

Quaſi planius diceret. Cauete, ne diuitiæ cordi hæreant, & affectum moderamini: rarò quippe inuenire licet hominem, à quo poſſeſſum aurum, non impenſius, quàm deceret, ametur. Qua de re cùm Bernardus ageret, ſic effatur: In Ecce nos reliquimus omnia.

Plus concupiſcentia mundi, quàm ſubſtantia nocet: & hæc fugiendarū di-

uitiarum cauſa præcipua eſt,quod aut vix, aut nunquam ſine amore valeant poßideri.

Hinc efficitur vt præconio dignus meritò cenſeatur diues,qui opes non magni pendat, qualis Iob,vt liquet ex verbis his:

Iob.3: *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, Fiducia mea. Si lætatus ſum ſuper multis diuitijs meis,& quia plurima reperit manus mea.*

Quibus certè verbis Iob ſibi malum imprecatur, ſi ità affectus vnquam fuiſſet,vt ſpem in diuitijs collocaret,aut ex ijs voluptatem caperet.Hoc diuitibus ad imitationem proponitur,

Diuitiarum diſpenſatio.
Cap. VII.

COmmendatur diſpenſatio liberalis, quæ inter auaram,& prodigam temperatur.Qui autem à medio illo recedunt,non adeò turpiter peccant, ſi in prodigalitatem,ac ſi in auaritiam propendeant: prodiga videlicet effuſio non ità diſſimilis libera-

beralitati,ac tenacitas eſt. Et quidem ob eam virtutis ſimilitudinem conciliat animos, facilèque vertitur in argumentum veræ virtutis: nam qui ſumptus prodigi ſunt, quòd non ſubſit cauſa rationi conſona, ad cauſas pias, honeſtaſuè facilè deſtinantur, animo interim non reluctante, qui ad expenſas pronus eſt. Simile quiddam ſcitu planè dignum inter prodigos audaceſque cernitur: nam, vt audaces pericula contemnere aſſueti, addito conſilio, quo carent, fortes euadunt, quòd non ità timidis accidit, ità prodigi, adiecto quoque conſilio, fiunt liberales, quod auaris non adeò peruium eſt.

Diſpenſationis ordo. Cap. VIII.

DIſpenſationis ordo congruit ordini diuinæ legis, ſcilicet vt alienis primùm reſtitutis, ex ijs quæ ſuperſunt, quiſque ſibi capiat ea, quibus eget, mox adſit ijs, qui coniunctiores ſunt, quales conſanguinei, affines, famuli, amici; denique alijs, quos omnes charitatis lege debet amplecti.

Diſpenſationis tempus. Cap. IX.

LIcet opes ad ſenectutem, vſque reconditæ, in bonos, pioſque vſus reſeruentur, non adeò laudandum eiuſmodi conſilium, ac illud, quo viri ſapientes vtuntur, dum tempus anteuertunt, vt piè diuitias erogent: inſtant quippè multa quæ auxilium præſens requirunt: ſubeſt & periculum mortis, quæ bona deſideria plerumq; non ſinit expleri.

Suppetunt exempla recentia, nobis, quoque nota inopinati exitus rerum non ex ſententia decurrentium; nam quæ bona labore multo parata, & ad pios vſus deſtinata ſunt obortis, poſt teſtatoris obitum, litibus, auocantur in vſus longè diſsimiles: ſatius ergò eſt, tempus præuertere.

Sumptus pij. Cap. X.

SVmptus pij ad ſalutem proximorum intenti ad laudatiſſimum diuitiarum vſum pertinent. Huc ſpectant:

ctant hoſpitales domus, templa extructa, & reſtituta, collegia ſtudijs dicata, inopum virginum in ſtatu monaſtico, vel coniugali collocatio, miſsiones ad infidelium conuerſionem deſtinatæ, & id genus alia, quæ Dei gloriam, & piorum diuitum laudem amplificant.

Porrò poſt ætates multas, viget honorifica mentio diuitum, qui baſilicas, xenodochia, gymnaſia extruxêre; progrediturque abſque pietatis decremento nominis claritas, quò non proceſſit ambitio. Accedit perennis totius poſteritatis gratitudo, & precum officium, quod iuſta trutina debet expendi.

Quotidiana Eleemoſyna.
Cap. XI.

Eleemoſynæ erogatio quotidiana, acceptiſſimus Deo vſus diuitiarum eſt, & apud homines laudem multam, beneuolentiamque conciliat. Domus præterea piorum diuitum abundè largientium ſecundis ſucceſsibus proſperantur, vt priſcis, recentibuſque experimentis perſpectum eſt.

Habet quippe Deus, vt more noſtro dicamus, intentos oculos, faciemque conuerſam in homines miſericordes, vt eos locupletet; quod obſeruaſſe videtur Tobias, vbi filium monuit in hæc verba:

Iob. 4. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.*

Huc refertur vbertas illa, quam Salomon pollicetur his verbis.

Pro. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.*

Vbi annotandum, loco verborum, *Da ei*, ab alijs legi, *Da pauperibus*; eleemoſynam enim per manus pauperum Deus accipit, quam abundè repenſat.

Contemptus diuitiarum.

Cap. XII. §. I.

AEquum profectò eſt, chriſtianus lector

lector opes aſpernari diſcat, quandoquidem ſalutis æternæ ſtudium cum auri cupiditate difficulter cohæret. Profitetur vir chriſtianus, ſe in cœleſtes opes aſpirare, fide ſcilicet diuina id ſuggerente: quomodo verò geret animum in cælos intentum, qui velut ad effodienda metalla pronus anhelat? Pars certe maxima generis humani terrenos tanti pendit theſauros, vt cœleſtes neque curare, neque cogitare videatur: quocirca timorati eſt animi tam numeroſi exercitus vitare conſortium, ne rapidiſsimo quaſi torrente correptus, intereat.

§. II.

ET primùm quidem, ipſum diuitiarum genus exactè cognitum pijs animis ſui deſpectum ingenerat. Ignobile quippe genus eſt, quod animos degeneres, vitijs multis obnoxios, & verarum virtutum detrectatores creat. Nimirum notum, & crebris exemplis teſtatum eſt, hominem ad opes coaceruandas inhiantem, eo ipſo puſillanimem, crude-

Digitized by Google

lē, vilibusq; ac hominis ingenio indignis actibus addictū fieri, nihil honeſtū, ac ſplendidū animo pertractare, vniuerſiſque alijs hominibus ſordere. Puſillanimis certè fit, qui fures acquiſiti auri, vel acquirendi præreptores ſuſpicatur: Crudelis, qui ne quid ſibi adimat, inopes fame arentes ferali repulſa eliminat. Sordidus, qui, ne modico quidem ſumptu ſibi neceſſaria prouidet, vndè ſterili menſa, incommodo lecto, obſoleto laceroque veſtitu ſe deſpicabilem exhibet. Cui autem non ſordeat, qui ſe non virtutis, ſed auri amore adeò turpiter deformat? Si ergo diuitiarum ſtudio tantoperè homo vileſcit, exploratum eſt, opes vilium affectuum, & actuum productrices contemptu dignas eſſe cenſendas.

§. III.

ET hæc quidem lumine ipſo naturæ animum ad opum deſpectum vrgere poſſent, tametſi opes iam partæ nullis aduerſis caſibus ſubiacerent: at ſi parandi, & conſeruandi

ſeruandi difficultatem adijciamus, miſerrimæ ſeruitutis imaginem nobis cernere videbimur, vt ex hoc ipſo capite aurum à viro chriſtiano vilipendendum ſit. Quid, rogo, indignum, ac prorſus abiectum, ſummoque cum labore coniunctum non attentant mortales diuitiarum cupidi, vt diteſcant? An vulgatum non eſt, homines claro loco natos, vili, rudique veſtimento tectos, mutato cœlo ad longinquas regiones commeare, vt mechanicis lanæ, mercium, pellium laboribus ingentem tandem pecuniæ vim, vel in ſenectute recondant? Profectò & acquirendi labor maior eſt, quàm fruendi lætitia, & indignitas maior, quam exiſtimatio è diuitijs orta.

§. IIII.

QVæ quidem veritas non aliorum, quàm diuitum ipſorum teſtimonio aſſerenda eſſet, ſi vellent illi vera proferre. Licet enim fingeremus, eos quantum auri cuperent, comparaſſe, veritas propoſita ſemper immota perſtaret, fateren-

renturque ipſi labores, ac indignitates non æquo pretio repenſari. Ceterùm quid pius lector ſentiet, ſi agmina cupidorum hominum recenſeat, vbi è millenis, qui laborioſè, indignèque vixerunt, vt opes conquirerent, vix vnus aut alter opulentus euaſit? Poſſent multi, quos à tartaro abſorptos non leuiter conijcitur, è medio inferorum incendio teſtificari, ſe innumeris anxietatibus, laboribuſque confectos, vt pecuniam hinc indè corraderent, vel è terræ cauitatibus effoderent; & tamen ſpe fruſtrata nihil auri, ſed ſolas cupiditatis pœnas recepiſſe.

§. V.

VErùm gratis demus, homines cupidos poſt exhauſtos labores denique omnes diteſcere; contemplemurque ſtatum, quem illi fortunatum appellant. Quid, rogo, boni pararunt diuites, quod æquo iudicio magni faciendum ſit? An quia diuites, ideò ſapientes, magnanimi, fortes, ſi antè partas opes, ſtulti, puſillanimes, ignaui fuère? Profectò rarò

cernas

cernas hominem, cui magni conſtitit opulentia, qui non fiat ea ipſa de cauſa deterior. Quin etiam difficulter inuenias, quem ſubſequuta rerum affluentia non torqueat, vt neque animo, neque corpori copia labore parta proficiat. Torquet videlicet perennis amittendi timor, & augendi ſollicitudo, quæ dirum tormenti genus eſt. Sanè locus nullus quantumuis voluptati deſtinatus eſt, in quo cupidum hominem auri cura, quaſi ſtimulus animo infixus non infeſtet, & ad actus ſapienti viro dignos torpentem efficiat.

§. VI.

HAc certè de cauſa Philoſophi multi opes contempſerunt rati cum ſciendi, virtuteſque colendi ſtudio diuitiarum curam connecti non poſſe: maluerunt quippe opum, quàm virtutum pati iacturam. Si autem animus diuitiarum pondere oneratus philoſophicarum virtutum cultui fit hebes, & impar; quàm fiet ſtupidus, ac imbecillis ad iugum Chriſti ſubeundum, & conficiendum

ſalutis iter? Quomodò æternæ vitæ viam alacriter percurret, qui grauiſſimo ponderi humeros ſpontè ſuppoſuit? Etenim adoleſcens ille diues, cui Chriſtus opum abdicationem ſuadere cœperat, tanto pondere ſe prægrauatum, mœſtitiaque tanta oppreſſum ſenſit, vt diuino conſilio ad ſalutis viam metiendam appoſitiſſimo minimè acquieuerit. Porrò non oneroſa modò, ſed limoſa quoque, ac glutinoſa nimis (vt Bernardus ait) ſubſtantia noſtra videtur, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Hæret verò adeò tenaciter, vt raro animus opum commoditatibus aſſuetus multo etiam adhibito conatu, ab eo complexu diuellatur. Quocirca Spiritus Sanctus cenſuit virum præconio dignum, qui poſt aurum non abijt, quaſi res procul dubio mirabilis, & planè rara ſit, auro nolle adhærere, vel poſt adhæſionem diuortia quærere. Saluberrimum ergo conſilium eſt, nolle ijs laqueis necti, quos pauci vitarunt, & paupertatem filiorum

Matth. 19.

Homiliæ in illud Mat ecce nos reliquimus omnia.

Eccl. 31.

Eccl. 31.

Dei,

Dei, expedito ad ſalutis iter corde tueri.

§. VII.

VTinam doctrinam hanc viri chriſtiani altè impreſſam ſæpè recolerent, neque aſpectabili mundi ſplendore ſe deludi permitterent. Splendor quippè hic mortalium oculis obiectus, vehementer eos afficit, vt veras diuitias in cœlo repoſitas neque perquirere ſtatuant, neque meminerint. Temporalia dumtaxat ſtrictiſſimo tenent amplexu, à quo ſolus interitus fruſtrà renitentes auellit, vti de peccatore diuite ſcriptum eſt: Iob.18.

Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum, quaſi rex interitus.

Fiducia diuitis eſt ipſa opulentia, quam ab eo inuito auellit mors, quæ decumbentem peſſumdat, more regis, qui deuictorum hoſtium colla proculcat, quod olim principes exercitus Ioſue feciſſe leguntur. Ioſue. 10.

§. VIII.

§. VIII.

SI ergo, quicquid diuites co‑
tur, poſt periodum vitæ breu
irrũpens mox interitus opes abl
rus eſt: quis adeò deſipiat, vt inex
bili cupiditate fluxa bona coagm
tet, quæ ſtatim eripienda ſunt?
verò quis non aſpernetur, quæ
modò ſunt eueſtigiò auferenda,
quæ in ſupremo agone præſentiſſi
æternæ mortis pericula creant?
rum eſt ſanè, quàm ſint obtuſi hon
nes ad prænoſcenda mala, quæ ſuo
bi labore conquirunt? Pauci ſapie
tes, qui Chriſti ſcholam æſtimare n
runt, diuitias velut ſpinas horrer
paupereſque apoſtolici voto etia
emiſſo, diuitiarum iugum excutiun
vt in mortis conflictu cum hoſte n
do nudi luctentur, & nullis imple
laqueis in Chriſti amplexum exped
tè, ac fidenter animam efflent; & ta
men in eo tremendo prælio timor
contrahuntur, & pallent: qualis er
go erit ſtatus diuitum, quos opulen
tia grauat, & quaſi truncos informe
in flammam inferorum detrudit

Quantò

Quantò eſt optabilior mendici Lazàri inopia, quàm exuberantia diuitis, qui poſtquàm purpura, & byſſo indutus, & ſplendidè epulatus fuerat, ſepultus eſt in inferno?

§. IX,

CEterum, licet inferni timor nullus vrgeret ad opes leuiter curandas, vel deſpiciendas; deberent profectò viri chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeò ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat? cur ità innumeri homines ineptiant, vt cum cœleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ità medullis diuitum hęret, vt ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſęculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri; cur media ſaltem charitate, ac liberalitate, inopes ferè intereuntes diuitiarum ſuarum conſortes non efficiant, vt eo piè diſpenſandi ſtudio minùs grauentur,

Digitized by Google

§. VIII.

SI ergo, quicquid diuites conentur, poſt periodum vitæ breuem, irrũpens mox interitus opes ablaturus eſt: quis adeò deſipiat, vt inexplebili cupiditate fluxa bona coagmentet, quæ ſtatim eripienda ſunt? Aut verò quis non aſpernetur, quæ non modò ſunt eueſtigiò auferenda, ſed quæ in ſupremo agone præſentiſſima æternæ mortis pericula creant? Mirum eſt ſanè, quàm ſint obtuſi homines ad prænoſcenda mala, quæ ſuo ſibi labore conquirunt? Pauci ſapientes, qui Chriſti ſcholam æſtimare norunt, diuitias velut ſpinas horrent: pauperesq́ue apoſtolici voto etiam emiſſo, diuitiarum iugum excutiunt, vt in mortis conflictu cum hoſte nudo nudi luctentur, & nullis implexi laqueis in Chriſti amplexum expeditè, ac fidenter animam efflent; & tamen in eo tremendo prælio timore contrahuntur, & pallent: qualis ergo erit ſtatus diuitum, quos opulentia grauat, & quaſi truncos informes in flammam inferorum detrudit?

Quantò

Quantò eſt optabilior mendici Lazàri inopia, quàm exuberantia diuitis, qui poſtquàm purpura, & byſſo indutus, & ſplendidè epulatus fuerat; ſepultus eſt in inferno?

§. IX,

CEterum, licet inferni timor nullus vrgeret ad opes leuiter curandas, vel deſpiciendas; deberent profectò viri chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeò ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat? cur ità innumeri homines ineptiant, vt cum cœleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ità medullis diuitum hęret, vt ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſęculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri; cur media ſaltem charitate, ac liberalitate, inopes ferè intereuntes diuitiarum ſuarum conſortes non efficiant, vt eo piè diſpenſandi ſtudio minùs grauentur,

Digitized by Google

§. VIII.

SI ergo, quicquid diuites conentur, poſt periodum vitæ breuem, irrũpens mox interitus opes ablaturus eſt: quis adeò deſipiat, vt inexplebili cupiditate fluxa bona coagmentet, quæ ſtatim eripienda ſunt? Aut verò quis non aſpernetur, quæ non modò ſunt eueſtigiò auferenda, ſed quæ in ſupremo agone præſentiſſima æternæ mortis pericula creant? Mirum eſt ſanè, quàm ſint obtuſi homines ad prænoſcenda mala, quæ ſuo ſibi labore conquirunt? Pauci ſapientes, qui Chriſti ſcholam æſtimare norunt, diuitias velut ſpinas horrent: pauperesque apoſtolici voto etiam emiſſo, diuitiarum iugum excutiunt, vt in mortis conflictu cum hoſte nudo nudi luctentur, & nullis implexi laqueis in Chriſti amplexum expeditè, ac fidenter animam efflent; & tamen in eo tremendo prælio timore contrahuntur, & pallent: qualis ergo erit ſtatus diuitum, quos opulentia grauat, & quaſi truncos informes in flammam inferorum detrudit?

Quantò eſt optabilior mendici Lazàri inopia, quàm exuberantia diuitis, qui poſtquàm purpura, & byſſo indutus, & ſplendidè epulatus fuerat, ſepultus eſt in inferno?

§. IX,

CEterum, licet inferni timor nullus vrgeret ad opes leuiter curandas, vel deſpiciendas; deberent profectò viri chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeò ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat? cur ità innumeri homines ineptiant, vt cum cœleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ità medullis diuitum hęret, vt ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſęculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri; cur media ſaltem charitate, ac liberalitate, inopes ferè intereuntes diuitiarum ſuarum conſortes non efficiant, vt eo piè diſpenſandi ſtudio minùs grauentur,

§. VIII.

SI ergo, quicquid diuites conentur, poſt periodum vitæ breuem, irrũpens mox interitus opes ablaturus eſt: quis adeò deſipiat, vt inexplebili cupiditate fluxa bona coagmentet, quæ ſtatim eripienda ſunt? Aut verò quis non aſpernetur, quæ non modò ſunt eueſtigiò auferenda, ſed quæ in ſupremo agone præſentiſſima æternæ mortis pericula creant? Mirum eſt ſanè, quàm ſint obtuſi homines ad prænoſcenda mala, quæ ſuo ſibi labore conquirunt? Pauci ſapientes, qui Chriſti ſcholam æſtimare norunt, diuitias velut ſpinas horrent: paupereſque apoſtolici voto etiam emiſſo, diuitiarum iugum excutiunt, vt in mortis conflictu cum hoſte nudo nudi luctentur, & nullis implexi laqueis in Chriſti amplexum expeditè, ac fidenter animam efflent; & tamen in eo tremendo prælio timore contrahuntur, & pallent: qualis ergo erit ſtatus diuitum, quos opulentia grauat, & quaſi truncos informes in flammam inferorum detrudit?

Quantò

Quantò eſt optabilior mendici Lazàri inopia, quàm exuberantia diuitis, qui poſtquàm purpura, & byſſo indutus, & ſplendidè epulatus fuerat; ſepultus eſt in inferno?

§. IX,

CEterum, licet inferni timor nullus vrgeret ad opes leuiter curandas, vel deſpiciendas; deberent profectò viri chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeò ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat? cur ità innumeri homines ineptiant, vt cum cœleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ità medullis diuitum hęret, vt ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſęculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri; cur media ſaltem charitate, ac liberalitate, inopes ferè intereuntes diuitiarum ſuarum conſortes non efficiant, vt eo piè diſpenſandi ſtudio minùs grauentur,

ſalutis iter? Quomodò æternæ vitæ viam alacriter percurret, qui grauiſſimo ponderi humeros ſponte ſuppoſuit? Etenim adoleſcens ille diues, cui Chriſtus opum abdicationem ſuadere cœperat, tanto pondere ſe prægrauatum, mœſtitiaque tanta oppreſſum ſenſit, vt diuino conſilio ad ſalutis viam metiendam appoſitiſſimo minimè acquieuerit. Porrò non oneroſa modò ſed limoſa quoque, ac glutinoſa nimis (vt Bernardus ait) ſubſtantia noſtra videtur, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Hæret verò adeò tenaciter, vt rarò animus opum commoditatibus aſſuetus multo etiam adhibito conatu, ab eo complexu diuellatur. Quocirca Spiritus Sanctus cenſuit virum præconio dignum, qui poſt aurum non abijt, quaſi res procul dubio mirabilis, & planè rara ſit, auro nolle adhærere, vel poſt adhæſionem diuortia quærere. Saluberrimum ergo conſilium eſt, nolle ijs laqueis necti, quos pauci vitarunt, & paupertatem filiorum Dei,

Matth. 19.

Homiliæ in illud Mat ecce nos reliquimus omnia.

Eccl. 31.

Eccl. 31.

Dei, expedito ad ſalutis iter corde tueri.

§. VII.

VTinam doctrinam hanc viri chriſtiani altè impreſſam ſæpè recolerent, neque aſpectabili mundi ſplendore ſe deludi permitterent. Splendor quippè hic mortalium oculis obiectus, vehementer eos afficit, vt veras diuitias in cœlo repoſitas neque perquirere ſtatuant, neque meminerint. Temporalia dumtaxat ſtrictiſſimo tenent amplexu, à quo ſolus interitus fruſtrà renitentes auellit, vti de peccatore diuite ſcriptum eſt: Iob.18.

Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum, quaſi rex interitus.

Fiducia diuitis eſt ipſa opulentia, quam ab eo inuito auellit mors, quæ decumbentem peſſumdat, more regis, qui deuictorum hoſtium colla proculcat, quod olim principes exercitus Ioſue feciſſe leguntur. Ioſue. 10.

§. VIII.

§. VIII.

SI ergo, quicquid diuites conentur, poſt periodum vitæ breuem, irrũpens mox interitus opes ablaturus eſt: quis adeò deſipiat, vt inexplebili cupiditate fluxa bona coagmentet, quæ ſtatim eripienda ſunt? Aut verò quis non aſpernetur, quæ non modò ſunt eueſtigiò auferenda, ſed quæ in ſupremo agone præſentiſſima æternæ mortis pericula creant? Mirum eſt ſanè, quàm ſint obtuſi homines ad prænoſcenda mala, quæ ſuo ſibi labore conquirunt? Pauci ſapientes, qui Chriſti ſcholam æſtimare norunt, diuitias velut ſpinas horrent: pauperesque apoſtolici voto etiam emiſſo, diuitiarum iugum excutiunt, vt in mortis conflictu cum hoſte nudo nudi luctentur, & nullis implexi laqueis in Chriſti amplexum expeditè, ac fidenter animam efflent; & tamen in eo tremendo prælio timore contrahuntur, & pallent: qualis ergo erit ſtatus diuitum, quos opulentia grauat, & quaſi truncos informes in flammam inferorum detrudit?

Quantò

Quantò eſt optabilior mendici Lazàri inopia, quàm exuberantia diuitis, qui poſtquàm purpura, & byſſo indutus, & ſplendidè epulatus fuerat, ſepultus eſt in inferno?

§. IX,

CEterum, licet inferni timor nullus vrgeret ad opes leuiter curandas, vel deſpiciendas; deberent profectò viri chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeò ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat? cur ità innumeri homines ineptiant, vt cum cœleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ità medullis diuitum hęret, vt ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſęculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri; cur media ſaltem charitate, ac liberalitate, inopes ferè intereuntes diuitiarum ſuarum conſortes non efficiant, vt eo piè diſpenſandi ſtudio minùs grauentur,

uentur, & apud Deum infenſum veniæ precatores ſibi concilient?

§. X.

FAcilè, credo equidem, diuitias contemnerent opulenti plerique, ſi futuræ vitæ ſtatum præuio fidei lumine præmeditari aſſueſcerent. Illa quippè ciuitatis Dei vbertas, menſa illa, vbi ad cœnam Agni, mundi tartarique victores honorificentiſſimo excipiuntur accubitu, veſtis illa nuptialis niue candidior, cæteraque ineffabilia bona, quæ diuitiarum contemptu parantur, vel ſaxea corda mollirent. Meditatio hæc planè dulciſſima è medijs mundi commoditatibus florentem iuuentutem ad monachorum clauſtra, vel ad eremiticam vitam deduxit. Senſit hoc Bernardus, qui expenſurus verba, quibus Chriſtus apoſtolicæ paupertatis ſectatoribus ampliſſimam æternæ felicitatis mercedem pollicetur, in hunc modum eloquitur:

Sub. Ecce nos reliquimus omnia.

Hæc nempè ſunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & volun-

volũtariam perſuaſere hominibus paupertatem. Hæc ſunt, quæ monachis clauſtra replent, deſerta anachoretis. Hæc inquam ſunt verba, quæ Aegyptum expoliant, & optima quæque eius vaſa diripiunt. Hic ſermo viuus, & efficax conuertens animas felici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli. Hæc Bernardus.

§. XI.

VErum, tametſi Bernardus ſileret, & tot contemptorum mũdi, qui caducas opes ſtudio hæreditatis æternæ ſpreuerunt, exempla deeſſent, vna Ieſu Chriſti, Dei, ac Redemptoris noſtri vita, in qua diuitiarum contemptus luculentiſſimè reſplenduit, pios animos ad opum deſpectum perurgere deberet. Si enim Dei ſapientia inopiam probauit, eoque exemplo mortales inſtruere, & ad perquirendam cæleſtem opulentiam hortari decreuit: neceſſe profectò eſt, pium diuitiarum contemptum, rem eſſe conſilio diuino mirificè conſentaneam, & ad ſalutis

Digitized by Google

opus appoſitiſſimam. Hęreat ergo le-ctoris animo Chriſti mens illis ex-preſſa verbis:

Matt. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.*

Cur enim non habuit? An quia non potuit? An quia opes ei nocerent? Minime profectò: ſed quia cupiditas hominum eo erat exemplo coercenda, ne ad immoderatas opes adeò vehementer æſtuaret.

§. XII.

AT quid nunc attexam? Quid hic depromam, dum cerno non magis exemplo tanto Chriſtianos pleroſque moueri, quàm ſi Chriſtus auaritiam commendaſſet? Quot rogo viri, qui ſapientes exiſtimantur, diuitiarum ſtudio ſe totos dedunt, quos neque ſenectus ipſa morti contigua, neque morbi, neque caſus aduerſi, neque inſtantis iudicij timor ab ea cupiditate diuertunt? Dicam certè quod S. Gregorius, cum grande hoc malum perpendiſſet, interim, dum

Andreæ

Andreæ Apoſtoli conuerſionem prædicabat, alto cum ſenſu ſubiecit:

In cœlo iam ſedet, qui de conuerſione nos admonet: iam iugo fidei colla gentium ſubdidit, iam mundi gloriam ſtrauit, iam ruinis eius crebreſcentibus, diſtricti ſui iudicij propinquantem denuntiat diem: & tamen ſuperba mens noſtra adhuc non vult hoc ſponte deſerere, quod quotidie perdit inuita. Hom. 5. in Euã. Hæc S. Gregorius.

§. XIII.

MIrum eſt hoc tanti Doctoris aſſertum, quod paſſim intuemur, neque tamen niſi à paucis, vt par eſt, æſtimatur, aut creditur. Beati mites ſpirituque pauperes, quibus puriſsima Chriſti lux affulſit, vt omnem ſæculi ornatum aſpernarentur, & excuſſo bonorum caducorum iugo, ad meliora bona ſuſpirarent. Recordare lector eorum diuitum, quos tu fortaſſe noſti, qui vbi minus putaſſent, inopinata morte correpti ſunt, Sacramentis Eccleſiæ minimè, aut inconſideratè receptis, non con-

dito, vel parùm piè diſpoſito teſtamento, de quorum ſalute vehementer ambigitur. Memineris etiam plurimorum pauperũ, quos vt conſcientia tibi ſuggerit, exactis iam penuriæ laboribus, ad fœliciſſimam terræ viuentium regionem, Deus patientiæ cognitor, ac remunerator tranſtulit. Poſtquàm verò ſuſpectos tibi diuites, fœliceſque opinione tua inopes recenſueris, dic quæſo, quibus annumerari malles, ſi optio tibi daretur Non dubium, quin reſponſurus ſis, electurnm te ſortem inopum, qui famelici cùm fuerint, ſatiantur modò vbertate domus Dei. Si ergò reſponſum hoc, vrgente conſcientia, reddis, quorſum opes augere, æternæque mortis laqueos tibi nectere pergis?

§. XIIII.

AGe ergò, tempus anteuerte, te grauatum exonera, & ſperne diuitias, quæ à te demum extorquendæ ſunt. Si opes minimè paraſti, ne intemperanter cupias, ne niſi neceſſarias exquiras. Si paraſti, piè vtare, & per

& per manus egentium in cœlos transfer, vbi centuplò auctiores recepturus ſis. Ne aures pijs monitis obtures: ne reſipiſcentiam in horam mortis reiicias. Incipe ſaltem modò per arctã incedere viã; quæ pingues beneq; nũmatos non capit, aut ſuſtinet. Ne fias velut taurus indomitus, qui detrectat aratrum, ſed manſueſce, & ſuaui Chriſti iugo collum ſubde, vt æternarum diuitiarum ſtudio, fluxas mundi opes excelsè deſpicias.

✠

Digitized by Google

PARS QVARTA

DE BONO DELECTABILI, BONOQVE licitæ voluptatis vſu.

Præmonitio. Cap, I.

DELECTABILIA bona, quorum excreuit numerus, minimè recenſebo, ſed conſilia nonnulla breuiter promam. Præmoneo cor hominis voluptatis cupidiſſimum eſſe,& à perpaucis,vti par eſſet,coërceri;eos tamen paucos frementium paſſionum domitores, inter fortiſſimos Chriſti milites meritò celebrari.

Voluptas quotuplex. Cap. II.

VOluptas altera licita, illicita altera:prima à bono aliquo,ſecunda à malo ducit originem.Licita altera humana, nimium nota,qualis quæ ex cibo, potu,cantu, amicorũq; aſpectu percipitur : altera diuina,

&ar-

& arcana, qualem viri diuinarum rerum contemplationi dediti, hoc in exilio quandoque delibant.

Illicitæ voluptatis fuga.

Cap. III.

ILlicita voluptas, qualis ex venere, ebrietate, vindicta, & alijs eiuſmodi exoritur, validè reſpuenda: efficit quippè hominem ignauum, verarum virtutum oſorem, & apud alios infamem: excæcat animum, & ab æternæ vitæ ſtudio torpentem longè dimouet, quo nihil calamitoſius.

Licitæ voluptatis moderatio.

Cap. IIII.

NOn quia licita voluptas, licet ea quantumlibet frui, quemadmodum, non quia licitus panis eſus, vel vini potus, ijs abſque modo vti fas eſt. Appetitus ergo reprimendus eò vigilantius, quo licitæ fruitionis modum excedere procliuius eſt. Præconio dignus exiſtimatur, cui metam minimè tranſilit. Huc ſpectat, quod S. Auguſtinus, poſtquam Abrahæ continentiam cum Ioannis Euangeliſtæ caſtitate comparauit, ſubtexuit

 indu-

inducens hominem cælibem ſic loquentem:

L. de bono Coniugali.

Ego facilius non vtor nuptijs, quibus vſus eſt Abraham, quàm ſic vtar nuptijs, quemadmodum eſt vſus Abraham.

Vbi cælibem inſtruit, ne ſe Abrahæ præferendum cenſeat, quòd Abraham nuptijs vſus fuerit. Coniugalis enim Abrahæ continentia Ioannis virginitatem, Auguſtini ſententia, quoad meritum æquauit: quod abſque mirabili plane Abrahæ temperantia in vſu licitæ voluptatis, fieri non potuit.

Moderatus licitæ voluptatis vſus virtuti aſcribendus. *Cap. V.*

VT corpus laſſum quiete, ità fatigatus animus delectatione, quæ animi quies eſt, procul dubiò eget. Vnde Aug.

L. 2. Muſicæ c. vltimo.

Sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.

L. 4. Eth.

Ariſt. quoque inter virtutes eutrapeli-

trapeliam (quam S.Tho. iucunditatem interpretatur)repoſuit.Doctrinam hanc S.Ioannes Euangeliſta aliquid licitæ voluptatis olim capiens, commendauit ſimilitudine arcus, qui ſi perpetuò intendatur, nec interdum relaxetur,effringitur: quo quidem Euangeliſtę exemplo S.Thomas ad confirmandam, quam protulimus doctrinam,vſus eſt. S.Th. 2.2.q. 168. art.2. Refert Caſſian. col. 24.

Obſeruatio erga licitæ voluptatis vſum.
Cap. VI.

DVo erga moderatum licitæ delectationis vſum obſeruanda: vnũne grauitas animi tota reſoluatur,vt monuit S.Ambr.in hæc verba: *Caueamus,ne dum relaxare animum volumus,ſoluamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum.* L.1.offic. c.10.

Alterum,ne perſonæ,loco,tempori, & alijs circumſtantijs voluptatis vſus diſſentiat,vt S.Thom.ex Cicerone docuit. Profectò puerilia oblectamenta viros graues minimè 2.2q. 168.a.1.

 decent,

decent, multoque minùs in loco ſerijs actibus dicato, ijſque horis, quæ gerendis vtilibus negotijs deſtinatæ ſunt.

Licitarum voluptatum electio.
Cap. VII.

EA oblectamenta eligenda, quę ab illicitis longiùs diſtent, & quæ animum non immoderatè afficiant, qualis amœnitas hortorum, auium cantus, tibiarum concentus, & eiuſmodi alia, quæ virum ſapientem ita delectant, vt interea non prorſus obliuiſcatur ſapientiæ. Porrò caſta hæc voluptas ad res diuinas contemplãdas, & amandas viam aperit, quæ alijs ludorum, ſcurrarum, hiſtrionum, choræarum delicijs ſolet intercludi.

Spiritualium, ſiue diuinarum voluptatum genus, & vſus.
Cap. VIII.

SPirituales voluptates, quas in hoc exilio cultoribus ſuis Deus inſtillat, genere quidem ſuo diuinæ ſunt, & nihil non purum ingenerant: ſolet tamen humana fragilitas ijs parùm

rùm moderatè frui, vndè ſanguinis eruptio, capitis læſio, & totius corporis extenuatio. Quocirca, & iis temperanter vacandum eſt. Si ergò ad puram Dei voluptatem hauriendam; immodicè ſolet indulgeri appetitui, quis non liquidò perſpiciat, in vſu voluptatis humanæ quantumuis licitæ, appetitui metam præfigi oportere?

Contemptus & fuga voluptatum.
Cap. IX. §. I.

Oporteret ſanè, me à voluptatum ſtudio lectores dehortaturum, efficaciſſima Chriſti virtute præmuniri, vt ſcriptura diuino ſpiritu afflata, & velut animata in animum penetraret, flecteretque volentem, quò natura non fertur. Viua certè quadam energia opus eſt, vt quod placet, reſpuatur, & mollia duris permutentur. Quapropter diuinæ gratiæ vim humanarum voluptatum expultricem mihi adeſſe opto, quæ frigentium animorum glaciem reſoluat.

§. II.

ET primùm ſtatuo, voluptatis amorem eſſe validiſsimum, & eò tenaciùs hærere, quò voluptas ſuauior eſt, intellectum propterea obtenebrare, eòque plerumque pertingere, vt in amentiam præcipitet, quod intemperanter amantium crebra exempla peruincunt. Quo quidem ex capite ratio naturali lumini conſentanea promitur ad voluptatem contemnendam, & horrendam. Cum enim proprium hominis bonum ſit ratio ipſa, qua cæteris animantibus antecellit; omninò aſſerendum eſt, & ſpernendam, & fugiendam eſſe voluptatem, quæ rationis vſum, vel extinguit, vel extenuat. Cuius certè mali intemperantes homines inſcriptum quoddam geſtare videntur, quod à ſapientibus cernitur, tacitoque cum ſenſu legitur, nihil interea diſcernentibus ijs, quorum mores in belluarum abſurditatem degenerant. Fiunt ſcilicet ſtupidi, hebetes, & ad omnem honeſti laudem impares, neque ratione iam vtuntur, niſi ad con-

ad conquirenda irritamenta voluptatis, qua peiùs excecantur.

§. III.

HInc efficitur, vt qui voluptati indulgere noſcuntur, non inter Chriſtianos tantùm, verùm inter Ethnicos ipſos, ad Reip. bonum minimè idonei exiſtimentur, quippè qui nec honeſtum curare, neque dignoſcere poſſe videantur. Et meritò quidem: quid enim boni molientur, qui communia cum pecudibus oblectamenta honeſtati, & candori virtutum præferunt? Exploratum eſt, eiuſmodi homines neque litterarum ſtudijs, neque armorum exercitijs, neque vlli præfecturæ aptos poſſe cenſeri: quin etiam & à viris bonis adeò haberi deſpectui, vt cum eis nullum affinitatis, nullum item amicitiæ genus contrahere velint. Tam exoſa honeſtis viris intemperantia eſt. Si ergò voluptas hominem ità deſpicabilem efficit; quis adeò diſipiat, vt vel habita exiſtimationis propriæ ratione, turpia vel immoderata oblectamenta non auerſetur?

Digitized by Google

§. IIII.

QVòd ſi intemperantes homines ſegniter moueat ratio hæc,qua conficitur, eos à bonorum virorum conſortio, infami quodam anathemate ſeparari; reſpondeantque,malle ſe ſuis frui voluptatibus, quàm bonorũ cõſuetudine:cõſiderẽt ſaltèm, quàm ſibi grauiter noceant, dum vitæ aduerſantur propriæ,quæ inter bona temporalia primo loco ponenda, & expetenda eſt. An non quotidianis liquet exemplis, homines bene firma corporis conſtitutione prædítos,& validos paucorum menſium voluptatibus cõſeneſcere, ac tabidos interire? Præcedunt acerrimi dolores,intolerabilis fœtor,& quædam æterni cruciatus mox ſucceſſuri prælibatio, quam vel ipſi cõſanguinei deteſtantur, & horrent. Ergone credendum eſt,vitam ipſam ab ijs, qui mentem humi defixam gerunt, adeò ſperni?

. V.

REſpondebunt fortaſſe eam ibi videri voluptatem, vt libenter

vitam

vitam explendæ cupiditatis cauſa profundant, neque ferendam eſſe appetitus æſtuantis tormentum. Ceterum reſponſio hęc ab homine quoque ethnico futuræ vitæ prorſus ignaro, ſed rationis compote proferretur turpiter, ab homine verò chriſtiano futuri iudicij conſcio, neque mente concipi poſſe videtur. Si enim infallibili fidei certitudine credit, ſe voluptati ſeruientem, paulò poſt in tremendas inferorum flammas demergendum; quomodo breui, fallaci, ſordida delectatione tam inſipienter ſe ſinit abſorberi? Si durum videtur, exultantem appetitum exiguo temporis interuallo compeſcere; quomodò ſupplicium illud tartareum ferre valebit? Profectò quò quis voluptatibus frequentiùs aſſueſcit eò fit mollior & cuiuſuis modici laboris impatientior: quid ergo ſentiet, vbi à molli culcitra, ad horrendum incendium pertrahetur?

§. VI.

NImis denſa caligo voluptarijs hominibus offuſa eſt, qua occæ-

cati in ſtupiditatem quamdam inciderunt, quę perexiguam ſalutis ſpem reliquiſſe videtur. Lethargus eſt, è quo non euigilant, niſi acriter torqueantur. Proponitur eis extremi iudicij formido, & rependenda oblectamentis mundi tormenta: & incredibili mentis obtuſione rident, appetituique effræni laxant habenas. Nimirum in profunditatem abyſſi demerſi ſunt, & immenſis aquarum voluminibus obruuntur. Horum cauſam dum viri pijſſimi contemplantur, mœrore intimo tabeſcunt, quòd neque monita ſalubria, neque Sanctorum exempla ijs mortifero ſomno conſopitis prodeſſe perſpiciant: fruſtra quippe eis ſuaderi videtur Chriſti imitatio, & quicquid caret eo genere voluptatis, quam ipſi impenſius amant.

§. VII.

AT ſi tàm grauis eſt animi ægritudo, qua laborant, vt nihil ſibi ſuaderi patiantur, quod non ſit voluptatis ferax; cur medio verarum virtutum cultu ad meliores oblectationes

nes non aſpirent? Certum eſt quippè meliora,& homine digniora gaudia è veris virtutibus, quàm è pulchris corporibus, vel lautis menſis prouenire:& ,vt chriſtiano ſenſu dicamus,omninò compertum eſt, mũdi vniuerſi voluptates cum bonæ conſcientiæ Dei iuſtitiam colentis lætitia comparari non poſſe: quod diuinus vates, locupletiſſimus teſtis, ſenſiſſe videtur,vbi dixit:

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda:

Quaſi planiùs in hunc modum Pſ.18.
effaretur.Mundi bona conficta,& cutanea cùm ſint, cuti dumtaxat hærent;Dei vero iuſtitia cùm ſit verum bonum intus conceptum afficit cor, & viſcera puræ voluptatis amne perfundit,Etenim diſcrimen hoc externæ, internæque lætitiæ,præterquam quòd a viris pijſſimis paſſim obſeruatum eſt, efficaci aſtruitur ratione. Homo enim chriſtianus,peccati conſcius, qui ſe ignis æterni reum firmiter credit, quomodo poſſit,vel inter choræas, & pocula ipſa, interna læ-

titia

titia perfrui? Quid veri, internique ſolatij ſubeſſe queat, vbi ſceleſtus homo meminit, ſe Dei eſſe inimicum, & tremendæ vltioni ſubiacere? Omninò credendum, impios vera pace, lætitiaque carere, pios verò per argumenta contraria, gaudia vera percipere. Cur ergo mortales veram, intimam, puram Dei voluptatem, conſilio mutato non exquirant?

§ VIII.

DIcent fortaſſe, ſe non inficiari, quod aſſeritur, oblectamenta ſcilicet meliora è Dei iuſtitia promanare: verùm ea paucis contingere, rem dubiam eſſe, an ſibi ea quoque ſors ſucceſſura ſit: mundi verò gaudia paſſim affluere, ſeque potiri, quoties libet. Ceterùm ſi ipſimet obiectores rogentur, vtra è duabus ſortibus felicior ſit, animum nempè chriſtianis virtutibus excultum, licet voluptatis expertem gerere, an ſæculi huius voluptates haurire, quid iam reſpondebunt? Quid prætexent? Sanè nihil ab eis reſponderi poteſt, niſi quod catholica veritate ſubnixum

eſt

eſt, melius, ac beatius eſſe Chriſti virtutibus exornari, quam cœno voluptatis immergi. Si ergo id felicius eſt, cur id non ament, atque conentur? Quin etiam cur non ſperent, ſe neglectis mundi gaudijs, cæleſtia prælibaturos, cùm id non adeò paucis accidat, ac ipſi contendunt? Profectò ij, qui ſacras audiunt confeſſiones, & norunt, & mirantur, quàm ſæpè clementiſſimus Deus peccatores recenter conuerſos ineffabili conſolatione permulceat, vt prouectorum Chriſti militum gaudia ſileam, quæ omnem mundi eloquentiam facilè vincunt. Experientia certè conuicti fatentur, Chriſti lætitiam, vel per vnum horæ quadrantem ab anima piè affecta perceptam mundi totius ſolatijs per annos mille protenſis præferendam: cuius quidem veritatis aſſertores multos, non antiqua modò ætas, ſed tempeſtas quoque noſtra nacta eſt. Cur ergo ſolatia diuina multis teſtibus aſſerta non auidiſſimè quæruntur ab ijs, quos impotens voluptatis tenet deſiderium?

§. IX.

§. IX.

CEterùm hominibus grauiter affectis nimis adhuc videtur durum, occultarum delectationum rationibus cedere, & omittere, quæ ipſi liquidò conſpiciunt, atque contrectant. Sed ſi, vt chriſtianos decet, agere velint, neutiquam eos mouere debet rerum abditarum obſcuritas, ſi adſit certitudo: quid enim de fidei miſterijs reſpondebunt, quæ omnia ipſius fidei obſcuritate, velut oppanſo velo, teguntur? An ideò non credenda, quia latent? Reſpondebunt, ſpiritualia huius vitæ ſolatia non modò latere, verùm incertum eſſe, an ſibi obuentura ſint, tametſi piè vitam inſtituant: ſe verò parùm vrgeri ea ratione, quæ cùm in commune accepta vera procul dubiò ſit, ſingulis tamen viris pijs dubitandi campum relinquit apertum: ſibi quoque non prodeſſe aliena gaudia, optareque ex pia ſemente, quæ cum lachrymis ſpargitur, certæ voluptatis ſegetem demetere.

§. X.

§. X.

VErùm, ſi certa oblectamenta requirunt, num exploratum non habent, omnes piè viuentes, ſi perſeuerent, æterna voluptate certiſſimè fruituros? Quam ergo nunc excuſationem obtendent, cùm & ipſi omnes piè viuere, & perſeuerare queant? An eis ſatis ampla merces, ſatis cumulata gaudia non proponũtur, quæ ſitim explebunt? Hæc eſt requies illa, quæ humanarum oblectationum contemptoribus ſpondetur, quæ mortalis vitæ curſu fatigatis exitu lætiſsimo ſuccedit. Hæc requies, de qua Euangeliſta Ioannes vocem ſuauiſſimam ſcripto conſignandam accepit in hæc verba:

Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.

Profectò verba hæc iuſtorum auribus dulciſsimè inſonant, & ad ſubiugandas paſſiones, temperantiamque parandam acerrimum calcar adſtringunt.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

AT voluptarij homines rationibus quãtũuis validis vix excitati in ſomnum altum remerguntur, prolixaque eis ſterilitas videtur, per totius vitæ mortalis curſum voluptate carere Ergone, aiunt illi, tamdiu à rebus iucundis abſtinendum eſt? Sed rogo, an vera eis videatur ſententia illa:

Breues dies hominis ſunt:

Rogo etiam, an quotidiè non videant homines alios ipſis iuniores morte improuiſa defungi. Vident ſanè, timent, ac expalleſcunt. Quomodò ergo vitæ prolixitatem cauſantur? Certè homo quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra: qua ergo mente fuga hæc velociſſima, longa putetur?

§. XII.

DEmus tamen eis vitam ætati hominum, qui ante diluuium vixêre parem, imò & longiorem, dummodò meminerint, conſtitutos eſſe à Deo terminos, qui præteriri non poſſint. Accedamus ergò ad terminos, &

nos,& ſenectutis occaſum contemplemur; ponamuſque, vitam illam longæuā voluptate mūdi deſtitutam lectoribus præfigi, vt ea perlapſa, æterno ſolatio antæactus labor repenſetur. Nunc autem ſciſcitor, an benè cum fatigatis agatur, ſi pro ſempiterno, ſummoque bono vitam illam ærumnoſam, ſterilemque ducere iubeantur. Porrò liberaliter ſecum agi cenſere debent, ſi iudicio præſtent. Quantò ergo liberalius agitur, & ſi pro breuiſſima, quæ nunc decurrit, vita, ærumnis vix delibatis, ad vitam beatiſſimam omnium bonorum aggregatione perfectam, feliciter defuncti transferantur? Vtinam Chriſti veritati proteruia humana concedat?

§. XIII.

SEd lentus aliquis miles, ignauuſque ſuarum paſſionum domitor obijciet, rationes huc vſque prolatas ſe libenter admittere, quæ illicitas voluptates oppugnant, ſibi tamen minimè obſtare, qui licitas captat: quocirca velle ſe ijs omninò

frui,

frui, quæ ſaluti auimæ non officiunt. Profectò exceptio hæc, ſi cutem ſpectemus, alia; ſi affectum, & praxim, alia longè videbitur: qui enim licitas voluptates profert, nihil abſurdum ſe amplecti velle profitetur: at ſi vſus praxiſque exploretur, rarò admodũ reperietur, qui oblectamentis ex genere licitis ardenter deditus, pietatis, & rationis metas non tranſiliat. Cùm enim impensè amet, quod delectat, velut in lubrico, procliuique loco conſtitutus, facillimè prolabitur, & fœdatur. Licitus eſt vini potus: at quotuſquiſque eſt, qui inter pocula verſetur ſobriè? Porrò quod ex genere licitum eſt, dum immoderatè accipitur, nocet, & quia turpe non geſtat inſcriptum, hærere ſinitur, donec animus quaſi temulentus ad vetitas voluptates licitis ſimiles præceps abripitur. Quomodò ergò viri chriſtiani tot ſibi genere licita oblectamenta incredibili auiditate conquirunt, neque interim animaduertunt, ſe ad illicita progreſſuros?

§.XIIII.

§. XIIII.

PRofectò Salomon licitas primùm voluptates exquiſiſſe videtur, vbi ait:

Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas: feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus: & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium.

Et paulò pòſt:

Feci mihi cantores, & cantratrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda.

Hæc Salomon, qui tamen ex ijs delicijs ad illicitas exemplo tremendo prolapſus eſt. Quis ergo ſibi blandiatur ſecundoſque pietatis ſucceſſus promittat, vbi cernit columnas ferreas commoueri, funditusſque corruere?

§ XV.

SAnè monachi vitæ ſanctimonia eximii, qui ſæcularium hominum comparatione, tutiorem per viam incedũt, temperantiam ſtudioſiſſimè

ſiſſimè colunt, oculiſque, & auribus licitam delectationem interdicunt, ne ad illicitam ſenſim labantur, lætaque primordia triſti fine concludant. Quid ergo ſentiemus de auſu eorum, qui ſatis ſibi temperantes videntur, ſic obſcœnas tantùm voluptates reſpuant, & quicquid aliàs commodum, & voluptuoſum eſt, abſque vlla meta perquirant? Vbi Dei timor? Vbi impendentis peccati fuga? Vbi Tartari formido? Vbi æternæ felicitatis amor? Præcaueat pius lector grande mortis æternæ malum, & ne ſe periculo certo committat. Licita voluptas illicitæ velut contigua eſt, & qui per licitæ campos excurrit, fomentum igni adijcit, quem gliſcentem extinguat. Sed qui ſcintillam non cohibet, quomodo incendium ſiſtet? Porrò ſtultitiæ vertendum videtur, ſi quis ignem, quem ſub initium minimè coercuit, feruentem cōpeſcere cogitet, & poſtquàm propriam domum abſumpſit, parietibus proximis, licet alienis, non adhæſurum confidat.

§. XVI.

§.XVI.

BEati, qui propter Chriſtũ ſibi vim afferre decernunt, licitiſque oblectamentis certos fines præſcribunt, intra quos appetitum feruentem contineant. Mortalium voluptates ocyſſimè euaneſcunt, & infixum conſcientiæ ſtimulum relinquunt, quo nihil luctuoſius. Nulla vera conſtanſque lætitia, niſi quæ ſpe cæleſtis regni ſubnititur. Ferat ergo patienter lector præſentem mæſtitiam, quę ex licitæ etiam voluptatis ſubtractione contrahitur, & ad feliciſſima cœli gaudia conſtanter aſpiret.

APPENDIX,

QVæ hucuſque conſului, communia ſunt vniuerſis, qui ſalutis viam feliciter emenſi ſunt, vel metiri conſtituunt. Debui tamen peculiare quippiam ſubtexere, quod Imperatoriæ Maieſtati, cui liber dicatur, propriè congrueret. Hoc

certè meis, ſed ipſis S. Auguſtini ſententijs, & verbis expreſſum ſubijcio.

Caput XXIIII. libri V. de Ciuitate Dei.

Quæ ſit Chriſtianorum Imperatorum, & quàm vera felicitas.

NEque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placita reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduersùs ſe inſurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim, & alia vitæ huius ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crede-

crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes: ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiornm largitate compenſant: ſi luxuria tantò eis eſt caſtigatior, quantò poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed

propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſteà re ipſa futuros, cum id quod expoſcimus, aduenerit.

FINIS.

INDEX

INDEX.

PARS PRIMA.

DE PRAENOTIONIBVS.

TRIPLICIS *boni deſcriptio.* Cap.I. *pap.*7
Triplicis boni abuſus. Cap. 2. 8
Triplicis boni comparatio. Cap.3. 9
*Triplicis boni veri, apparentiſq; deſcriptio.*Cap.4. 10
Triplicis boni vera ratio. Cap.5. 11
*Triplicis boni vſus lege diuina non interdictus.*Cap.6. 12

PARS SECVNDA.

De bono honeſto, bonoque honoris parandi modo, & vſu

Præmonitio.Cap.1. 13
Honeſti ratio.Cap.2. 14
Honeſto debitus honor.Cap,3. 15
Quid nam rei ſit honor.Cap.4. 16
Honoris æſtimatio.Cap.5. ibid.
Honoris appetentia. Cap.6. 17
Honor quomodo quærendus. Cap.7. 18
Quibus actibus paretur honor. Cap. 8. 19
Sapientia paratur honor. Cap. 9. 20
Pietate paratur honor.Cap.10. 21
Iuſtitia paratur honor.Cap.11. 22
Fortitudine paratur honor.Cap.12. 23
Honoris contemptu paratur honor. Cap.13. 24
Bonus parti, delatiq; honoris vſus difficilis.Cap.14. 25
Honor meritis, aut dignitatis gradu maior reſpuendus.Cap.15. 26
Aequalis honor ne dum maior moderatè admittendus.Cap.16. 28
Delatus honor in Deum referendus. Cap.17. 29
Non facilè aperienda, quæ honorifica ſunt.

ſunt. Cap. 18. 30

Honorifica interdum aperienda, & honor exigendus. Cap. 19. 32

Quænam meditationes conferant ad moderatum delati honoris vſum. Cap. 20. ibid.

Honoris gloriaq́ humanæ contemptus. Cap. 21. 34

PARS TERTIA.

De bono vtili, bonoq́ue diuitiarum vſu.

Præmonitio. Cap. 1. pag, 49

Diuitiarum genus. Cap. 2. ibid.

Diuitiarum acquiſitio. Cap. 3. 51

Diuitiarum quantitas. Cap. 4. 52

Diuitiarum qualitas. Cap. 5. 54

Diuitiarum poſſeßio. Cap. 6. 55

Diuitiarum diſpenſatio. Cap. 7. 56

Diſpenſationis ordo. Cap. 8. 57

Diſpenſationis tempus. Cap. 9. 58

Sumptus pij. Cap. 10. ibid.

Quotidiana Eleemoſyna. Cap. 11. 59

Contemptus diuitiarum. Cap. 12. 60

PARS QVARTA.

De bono delectabili, bonoque licitæ voluptatis vſu.

Præmonitio.Cap.1. 76

Voluptas quotuplex. Cap.2. 76

Illicitæ voluptatis fuga.Cap.3. 77

Licitæ voluptatis moderatio. Cap. 4. ibid.

Moderatus licitæ voluptatis vſus virtuti aſcribendus. Cap.5. 78

Obſeruatio erga licitæ voluptatis vſum..Cap.6. 79

Licitarum voluptatum electio. Cap.7. 80

Spiritualium ſiue diuinarum voluptatum genus, & vſus.Cap.8. ibid.

Contemptus, & fuga voluptatum.Cap. 9. 81

Appendix. 97

FINIS.

Google

ſiſſimè colunt, oculiſque, & auribus licitam delectationem interdicunt, ne ad illicitam ſenſim labantur, lætaque primordia triſti fine concludant. Quid ergo ſentiemus de auſu eorum, qui ſatis ſibi temperantes videntur, ſic obſcœnas tantùm voluptates reſpuant, & quicquid aliàs commodum, & voluptuoſum eſt, abſque vlla meta perquirant? Vbi Dei timor? Vbi impendentis peccati fuga? Vbi Tartari formido? Vbi æternæ felicitatis amor? Præcaueat pius lector grande mortis æternæ malum, & ne ſe periculo certo committat. Licita voluptas illicitæ velut contigua eſt, & qui per licitæ campos excurrit, fomentum igni adijcit, quem gliſcentem extinguat. Sed qui ſcintillam non cohibet, quomodo incendium ſiſtet? Porrò ſtultitiæ vertendum videtur, ſi quis ignem, quem ſub initium minimè coercuit, feruentem cōpeſcere cogitet, & poſtquàm propriam domum abſumpſit, parietibus proximis, licet alienis, non adhæſurum confidat.

§. XVI.

BEati, qui propter Chriſtũ ſibi vim afferre decernunt, licitiſque oblectamentis certos fines præſcribunt, intra quos appetitum feruentem contineant. Mortalium voluptates ocyſſimè euaneſcunt, & infixum conſcientiæ ſtimulum relinquunt, quo nihil luctuoſius. Nulla vera conſtanſque lætitia, niſi quæ ſpe cæleſtis regni ſubnititur. Ferat ergo patienter lector præſentem mæſtitiam, quę ex licitæ etiam voluptatis ſubtractione contrahitur, & ad feliciſſima cœli gaudia conſtanter aſpiret.

APPENDIX.

QVæ hucuſque conſului, communia ſunt vniuerſis, qui ſalutis viam feliciter emenſi ſunt, vel metiri conſtituunt. Debui tam peculiare quippiam ſubtexere, quod Imperatoriæ Maieſtati, cui liber dicatur, propriè congrueret. Hoc

certè meis, ſed ipſis S. Auguſtini ſententijs, & verbis expreſſum ſubijcio.

Caput XXIIII. *libri V. de Ciuitate Dei.*

Quæ ſit Chriſtianorum Imperatorum, & quàm vera felicitas.

NEque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placita reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduersùs ſe inſurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim, & alia vitæ huius ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crede-

crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes: ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiornm largitate compenſant: ſi luxuria tantò eis eſt caſtigatior, quantò poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed

Digitized by Google

propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſteà re ipſa futuros, cum id quod expoſcimus, aduenerit.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

PARS PRIMA.

DE PRAENO-TIONIBVS.

TRIPLICIS *boni deſcriptio. Cap.I. pap.*7
Triplicis boni abuſus. Cap. 2. 8
*Triplicis boni comparatio. Cap.*3. 9
*Triplicis boni veri, apparentiſq; deſcriptio.Cap.*4. 10
*Triplicis boni vera ratio. Cap.*5. 11
*Triplicis boni vſus lege diuina non interdictus.Cap.*6. 12

PARS SECVNDA.

De bono honeſto, bonoque honoris parandi modo, & vſu

Digitized by Google

Præmonitio.Cap.1. 13
Honeſti ratio.Cap.2. 14
Honeſto debitus honor.Cap,3. 15
Quid nam rei ſit honor.Cap.4. 16
Honoris æſtimatio.Cap.5. ibid.
Honoris appetentia. Cap.6. 17
Honor quomodo quærendus. Cap.7. 18
Quibus actibus paretur honor. Cap. 8. 19
Sapientia paratur honor. Cap. 9. 20
Pietate paratur honor.Cap.10. 21
Iuſtitia paratur honor.Cap.11. 22
Fortitudine paratur honor.Cap.12. 23
Honoris contemptu paratur honor. Cap.13. 24
Bonus parti, delatiq; honoris vſus difficilis.Cap.14. 25
Honor meritis, aut dignitatis gradu maior reſpuendus.Cap.15. 26
Aequalis honor ne dum maior moderatè admittendus.Cap.16. 28
Delatus honor in Deum referendus. Cap.17. 29
Non facilè aperienda, quæ honorifica ſunt.

ſunt. Cap. 18. 30
Honorifica interdum aperienda, & honor exigendus. Cap. 19. 32
Quæ nam meditationes conferant ad moderatum delati honoris vſum. Cap. 20. ibid.
Honoris gloriæq́; humanæ contemptus. Cap. 21. 34

PARS TERTIA.

De bono vtili, bonoq́ue diuitiarum vſu.

Præmonitio. Cap. 1. pag. 49
Diuitiarum genus. Cap. 2. ibid.
Diuitiarum acquiſitio. Cap. 3. 51
Diuitiarum quantitas. Cap. 4. 52
Diuitiarum qualitas. Cap. 5. 54
Diuitiarum poſſeßio. Cap. 6. 55
Diuitiarum diſpenſatio. Cap. 7. 56
Diſpenſationis ordo. Cap. 8. 57
Diſpenſationis tempus. Cap. 9. 58
Sumptus pij. Cap. 10. ibid.
Quotidiana Eleemoſyna. Cap. 11. 59
Contemptus diuitiarum. Cap. 12. 60

PARS QVARTA.

De bono delectabili, bonoque licitæ voluptatis vſu.

Præmonitio.Cap.1. 76
Voluptas quotuplex. Cap.2. 76
Illicitæ voluptatis fuga.Cap.3. 77
Licitæ voluptatis moderatio. Cap. 4. ibid.
Moderatus licitæ voluptatis vſus virtuti aſcribendus. Cap.5. 78
Obſeruatio erga licitæ voluptatis vſum..Cap.6. 79
Licitarum voluptatum electio. Cap.7. 80
Spiritualium ſiue diuinarum voluptatum genus, & vſus.Cap.8. ibid.
Contemptus, & fuga voluptatum.Cap. 9. 81
Appendix. 97

FINIS.